LIBER SECVNDVS DE VIRTVTIBVS REQVISITIS IN CONCIONATORE EVANGELICO,

ET AD QVOS SPECTET PRÆCIPVE INFIDELIBVS Euangelij prædicandi Prouincia.

AVTHORE DAVIDE CAMERARIO PRESBYTERO SCOTO.

AD ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISSIMVM PRINCIPEM ac Mæcenatem suum, Dominum Franciscum S. R. E. Cardinalem Barberinum Vrbani VIII. Opt. Max. Pontificis Nepotem, Scotiæ Protectorem.

CATALAVNI.
Apud Iacobum Theuenyn Typographum & Bibliopolam.
M. D. C. XXVII.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC MOECENATI SVO, DOMINO FRANCISCO S. R. E. CARDINALI BARBERINO, SCOTIÆ PROtectori, Vrbani VIII. Opt. Max. Pontif. Nepoti,

DAVID CAMERARIVS PRESBYTER SCOTVS OBSEQVIVM.

PRIMOS *lucubrationum nostrarum labores cui potissimum dicarem, non me sanè anxium diuturnior tenuit dubitatio*, Illustrissime Cardinalis, *quippe Vrbanus VIII. patruus tuus pij gratique monimentum animi, à me Scoto amantissimus Scotorum pater; lætam recens inauguratus Pontif. Max. gratulationem; primos vigiliarum fructus, diuini vicarius imperij; principium denique & caput operis, ipsum sanctissimum atque augustissimum Christiani orbis caput, iure suo postulabat. quidni & ipsum opus lucem prius recusaret aspicere, quàm sub patrocinij humano maioris quasi vmbrã & recessum confugeret, vt à sanctissima dextrâ velut à sacro medicamine contactum fieret non luminis modo, sed etiam flammæ patiens. Secundam adeo sortem secundum opusculum primo nec inuidit, nec inuidisse potuit, suopte scilicet nutu, ac velut natiuo impetu ferebatur ad eum, quem summo in terris principi, auctoritas, sapientia, maximéque virtus ipsa coniunxit magis quàm ipsum etiam arctissimum sanguinis vinculum. Suum ergo solem sua norunt sidera. Omnium se virtutum splendore, sed earum præsertim quibus sacro-sancti Collegij Senatorem decet esse conspicuum vniuerso terrarum orbi, velut solem, illucere omnes agnoscunt. Quæ quidem in hoc meo libello non suis expressæ coloribus, sed rudi adumbratæ penicillo [velut minora sidera, exiguæ suæ lucis conscia] in diem renuunt prodire, nisi abundantiore, à suo sole, id est à tuo patrocinio, communicato lumine, possint hominum ora non formidare, iudicia non pertimescere. Liceat igitur illis accedere*, Illustrissime Princeps, *primum vt ex illo tuo pectore, in quo illustrius multò emicant velut ex fœcundissimo lucis fonte, quod deest splendoris, cumulatè hauriant: Deinde vt suis in teipso, sic auctas honoribus, sibi gaudeant, tibi*

gratulentur. Denique vt meam in te testentur voluntatem esse eam, quæ & gentis nostræ suscepta nuper quasi hæreditario iure, tutela, & meritorum in me obstricta vinculis, se omne tibi officij & seruitutis genus debere agnoscat & fateatur.

Vale.

PARS
PRIMA
CAPVT PRIMVM.
§ 1.us
DE CVRA ET SOLLICITVDINE AD QVAM TENETVR SVMMVS PONTIFEX IN EXTIRPANDIS HÆRESIBVS.

AD ROMANVM Pontificem Christi in terris Vicarium pertinere Euangelij per vniuersum terrarum orbem propagationem nulli Catholico in dubium reuocare fas est, cùm scripturæ ac patrum auctoritas & ratio denique hec apertè euincant. A scripturâ incipiamus. Clarum est Christum Dominum Ioannis vltimo sancto Petro Apostolorum Principi, eiusque successoribus Romanis Pontificibus ouile dominicum commisisse. *Pasce* (inquit) *oues meas.* Quas quæso? an tantùm tunc congregatas? illius loci vel temporis? neutiquam, sed omnes tam illius quàm futuri temporis dispersas ac dissipatas (quin imò nondum oues) quærere vt oues fierent, atque vt intra Euangelij septa cum reliquo grege pascerentur, euocare commisit, de quibus sanè Christus Ioannis 10. asseruit. *Alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili quas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor.* Quibus verbis clarum est Dominum loquutum esse de populo gentili, & Iudaico nondum ad fidem conuerso, qui etsi secundum præsentem iustitiam ab Ecclesiâ alienus sit, ad eamdem tamen, si diuinam electionem spectemus, vocatus est, vnde sanctus Chrisostomus libro 2. de sacerdotio ita loquitur. *Quamobrem ille* (id est Christus) *sanguinem suum effudit? certè vt errantes oues in vnum congregaret, quarum curam tum Petro tum eius successoribus committebat.* Accedit quod cùm multa sint Prophetarum vaticinia, quæ pronuntiant Christi sponsam Ecclesiam omnes gẽtes ad veritatis agnitionen adducturam, nec hoc ante Euangelij promulgationem adim-

pletum sit necesse est ad Petrum eiusque successores pertinere prædictas gentes conuocare, & ad veri luminis agnitionem adducere, & planè ita factum esse constat ex D. Luca act. 10. & ex ijs quæ nos superiùs diximus de gentium vocatione ad fidem, quæ consule. Tantùm hic addo illa visione Petro eiusque successoribus non solùm demonstratum fuisse gentes ad Ecclesiam traducendas esse: verùm ex suo officio eas adducere debere, quod manifestè illis verbis significatur. *Surge Petre, occide & manduca.* capitis enim est manducare, & per manducationem in stomachum cibum traijcere illumque sibi incorporare; Petro ergo conuenit vt tanquam caput Ecclesiæ infideles conuertat, efficiatque Ecclesiæ membra. Denique & ratio hoc ipsum suadet. Cùm enim Christi Ecclesia continuò crescere debeat, nullùs sanæ mentis dubitare potest, quin ad diuinam prouidentiam spectet, vnum aliquem seligere cui primo hoc onus adducendi oues ad Euangelij caulas incumbat: hic autem alius non est quàm Romanus Pontifex Petri successor, Christi Vicarius, illi ergo hoc munus incumbit. Legi potest D Bernardus in libris de consideratione ad Eugenium Pontificem, vbi præclara planè habet de Romani Pontificis cura & sollicitudine, præsertim lib. 2. cap. 6. vbi Eugenium Pontificem ita alloquitur. *Exi in agrum Domini tui, exi inquam in mundum: ager enim est mundus, isque creditus tibi: Exi in illum non tanquam Dominus, sed tanquam villicus, videre & procurare vnde exigendus es rationem. Exi dixerim quibusdam tuæ passibus sententiæ, sollicitudinis, & sollicitæ intentionis: Neque enim ipsi qui visi sunt ire in orbem vniuersum, orbem circumiuerunt præsentiâ corporis, sed mentis prouidentia. Et tu leua oculos quosdam considerationis tuæ, & vide regiones, si non sint magis siccæ ad ignem quàm albæ ad messem: nonne si exis & cernis ista pudebit otiosam iacere securim? pudebit sine causa falcem Apostolicam accepisse?* Et lib. 4. text. 3. *Salutare mandatum, si amas me pasce oues meas: nempe in pompa Pontificia non affectanda pro debito, ad ea te potius incito, quorum te scio debitorem. Etsi purpuratus, etsi deauratus incedens; non est tamen quod horreas operam curamue pastoralem pastoris hæres: non est quod erubescas Euangelium. quanquam si volens euangelizes inter Apostolos quidem etiam gloria est tibi: Euangelizare pascere est. Fac opus Euangelistæ, & pastoris opus implesti.* Denique vt alia Bernardi loca omittam præclarè hoc idem docet in Epistola prima ad Eugenium his verbis. *Quis mihi det antequam moriar videre Ecclesiam Dei sicut erat in diebus antiquis? quando Apostoli laxabant retia in capturam: non in capturam argenti, vel auri, sed in capturam animarum, quam cupio illius te hæreditare vocem, cuius adeptus es sedem?* Et infra, *Hac vehementer expectat & omnino*

expetit à te mater tua: hoc filij matris tuæ pusilli cum maioribus desiderant, hoc suspirant, vt omnis plantatio quam non plantauit pater Cœlestis tuis manibus eradicetur. Ad hoc enim constitutus es super gentes & regna vt euellas & destruas, & ædifices & plantes. Legatur sanctus Leo Papa sermone 3. de assumptione sua ad Pontificatum, & sermone 1. de natali Apostolorum Petri & Pauli, sanctus Chrisostomus in illa verba Ioannis 10. *Pasce oues meas.*

§ 2.us

CVRAM ET SOLLICITVDINEM CONVERSIONIS HÆRETICORVM ET INFIDELIVM SPECTARE ETIAM AD EPISCOPOS ET PRINCIPES SÆCVLARES

HActenus sufficienter probatum esse existimo ad Christi in terris Vicarium, Romanum nempe Pontificem spectare Hæreticorum & infidelium ouium, ita vt ex officio eas vocare & ad Christi ouile eas adducere debeat, discutiendum nunc est an etiam Episcopis & Principibus Christianis etiam sæcularibus hoc idem onus incumbat. Et quidem quod ad Episcopos attinet certum est illis hanc curam exercere, præsertim in suis Episcopatibus ex officio incumbere. Vnde D. Gregorium Papam negligentiam Episcoporum & Prælatorum seuerè adeo arguisse legimus, vt ad Ianuarium Episcopum scribat his verbis. *Rusticos quos habet Ecclesia tua, nunc vsque in infidelitate remanere negligentia fraternitatis vestræ permisit. Et quid vos admoneo vt extraneos ad Deum adducatis, qui vestros ab infidelitate corrigere negligitis? vnde necesse est vos per omnia in eorum conuersionem vigilare. Nam si cuiuslibet Episcopi in Sardinia insula paganum Rusticum inuenire potuero, in eundem Episcopum fortiter vindicabo. Iam verò si rusticus tantæ fuerit perfidiæ & obstinationis inuentus vt ad Deum venire minimè consentiat, tanto pensionis onere grauandus est, vt ipsa exactionis suæ pœna compellatur ad rectitudinem festinare.* Hæc D. Gregorius, ex quibus non solùm Episcopis infidelium conuersionem ex officio incumbere constat, verùm etiam & diligentiam discimus conuersioni infidelium ab ijsdem adhibendam. Neque hoc onus ad solos Episcopos, sed & alios Principes & Nobiles etiam sæculares pertinere docet idem Pontifex lib. 3. Registri Epist. 23. *Cognoui* (inquit) *pœne omnes vos Rusticos in vestris possessionibus Idololatriæ deditos habere, & valde hac de re contristatus sum.* Et inferius, *vnde magnifici filij exhortor vt omni cura omnique sollicitudine animarum vestrarum zelum habere*

debeatis, & quas rationes omnipotenti Deo de subditis reddituri estis attendite. Ad hoc quippe illi vobis commissi sunt, quatenus & ipsi vestræ vtilitati valeant ad terrena deseruire, & vos per vestram prouidentiam eorum animabus ea quæ sunt æterna, prospicere. Si igitur impendunt illi quod debent, vos eis cur non soluitis quod debetis? Et certè debere Reges & Principes religionem Catholicam tueri & propagare ex Isaia 49. 23. 6 Grillus & alij patres notarunt, cum ait Dominus: *Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum*, nempe Crucis, ait Hieronymus, *Et afferent filios suos in vlnis, & filias suas super humeros portabunt*, nempe Apostoli, qui nullum graue onus imposuere fidelibus: *& erunt Reges nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ.* Id quondam fecere Constantinus Magnus, Theodosius, Carolus Magnus, qui magnis impensis fidem Christianam fouerunt & propagarunt, & nunc per Dei gratiam plurimi Christiani Principes præstant. Constantini in Epistola ad Celsum Africæ Vicarium, quam recitat Cardinalis Baronius tomo 3 anno 316. & 318. hæc verba sunt. *Nequaquam me aliter maximum reatum effugere posse credo, quam vt hoc, quod improbè fit minimè existimem dissimulandum; cùm nihil potius à me agi instituto meo, ipsiusque principis munere agi oporteat, quàm vt discussis erroribus, omnibusque temeritatibus amputatis, veram religionem vniuersos, concordemque simplicitatem, atque meritam omnipotenti Deo culturam præsentare perficiam.* Reges certè plurimi dum regno inaugurantur hoc in primis iureiurando promittunt se fidei Catholicæ Romanæ assertores & vindices futuros, Ecclesiamque & pacem perpetuam defensuros. Et rectè, quia vt benè Leo Magnus ad Pulcheriam Augustam. *Res humanæ aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad diuinam confessionem pertinent, & Regia & Sacerdotalis defendat auctoritas.* Denique debere Principes nullam aliam in suis ditionibus tolerare religionem quam catholicam Romanam, & hæreses extirpare certum videtur ex psalmo 2. V. 11. vbi Regibus à Rege Dauide dictum est, *Seruite Domino in timore.* Quæ verba expendens D. Augustinus. *Quomodo* (inquit) *Reges seruiunt in timore nisi ea, quæ contra iussa Domini fiunt, religiosa seueritate prohibendo atque plectendo? Aliter enim seruit quia homo est aliter quia etiam Rex est. Quia homo est, ei seruit viuendo fideliter. quia verò etiam Rex est, seruit leges iusta præcipientes & contraria prohibentes, conuenienti rigore sanciendo.*

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

§. I.us

DE DIGNITATE MVNERIS PRÆDICANDI EVANGELIVM.

PRædicandi munus esse nobilissimum ac dignissimum certum est ex varijs capitibus ex quibus desumitur. Primum est quod prædicatio fuerit præcipuè munus Christi qui postquam plures annos nos docuit exemplo ab ipso primo die suæ natiuitatis, prædicationem verbi sibi reseruauit in annum 30. Secundò colligitur ex eo quod primi successores & Legati Christi, Apostoli, cum alia munera baptizandi, administrandi alia sacramenta, gerendi curam viduarum, & alia his similia alijs discipulis commisissent, solum munus prædicationis sibi reseruarunt: non putarunt ergo hoc esse facilè alijs committendum. Tertiò ex dignitate ipsius rei quæ tractatur in prædicatione, tractatur enim verbum Dei, & scriptura sacra, cuius excellentia satis nota est.

---

§. 2.us

QVIBVS COMPETAT EVANGELIVM PRÆDICANDI PROVINCIA,

Vbi examinatur opinio R. P. F. Thomæ à Iesu Carmelitæ adscribentis hoc munus præcipuè & præ alijs Monachis & Religiosis etiam choro &c. occupatis.

POstquam de sollicitudine & cura ad quam tenentur Principes tum Ecclesiastici tum sæculares in extirpandis hæresibus actum est, reliquum est vt hoc loco quæramus ad quos præcipuè & præ aliis prædicandi Euangelium Prouincia pertineat, ad Clericos sæcularesne an verò ad Monachos & Religiosos, præsertim claustro occupatos. Thomas à Iesu Carmelita de conuersione omnium gentium lib. 2. parte 2. per totam, præsertim cap 2. totus est vt probet Monachis & Religiosis præ alijs conuenire: quibus verbis vult Religiosis & Monachis præ Clericis sæcularibus hoc officium competere: alioqui enim ineptè tam multa argumenta cumularet. Quis enim dubitat illis præ Laicis conuenire? Saluo tamen meliori iudicio existimo hoc officium Monachis

& Religiosis qui choro & similibus occupantur, præ alijs non conuenire. Antequam hoc probem suppono longè diuersam esse præsentem nostram quæstionem ab illa quæ agitata fuit inter Guillelmum quemdam oppidi Amoris & duos sanctissimos Ecclesiæ doctores Angelicum & Seraphicum: asserebat enim ille ad solos Clericos sæculares pertinere, non autem ad Religiosos quos nec ad populum conciones habere nec pœnitentium confessiones excipere, imò nec literis operam dare, posse dicebat. Verum eius impietatem non minus doctè quam piè refellerunt duo prædicti doctores Angelicus & Seraphicus, ille opusculo edito contra impugnantes religionem, hic verò in pauperum apologia. Suppono etiam contra stigmaticum perfugam Caluinum posse licitè Religiosos Sacerdotium suscipere absque eo quod faciant contra Dei institutum aut Sacerdotij naturam, etiamsi verbum Dei non annuntient, aut conciones habeant ad populum: docet enim Caluinus hoc ipso quod aliquis ordinatur Sacerdos teneri ad prædicationem verbi Dei: sic enim loquitur *Ex mendicantibus nonnulli concionantur: reliqui omnes Monachi vel cantillant vel demurmurant Missas in suis latibulis: quasi ad hoc fieri præsbyteros, aut Christus voluerit, aut muneris natura patiatur. Quum scriptura palam testetur, Presbyteri esse propriam Ecclesiam regere: an non impia est profanatio, alio transferre imo penitus immutare sacrum Dei institutum? &c.* His suppositis nostram sententiam sic confirmo. Monachis & Religiosis choro obstrictis præ Episcopis non conuenit Euangelij prædicandi prouincia, igitur neque etiam præ Clericis sæcularibus. Antecedens huius argumenti nemo, vt arbitror, negabit, præsertim cum concilium Tridentinum sess. 5. cap. 2. decreti de reformatione & sess. 24. cap. 4. affirmet prædicare esse præcipuum Episcoporum munus, vetetque Regulares etiam in Ecclesijs suorum ordinum contradicente Episcopo prædicare. Consequentia argumenti inde euidens est quod omnia argumenta, quibus vtuntur aduersarij probent æquè bene de Episcopis ac de Clericis sæcularibus, vt legenti argumenta Thomæ à Iesu patebit. Deinde neque Monachis & Religiosis choro occupatis hoc officium præ Curatis conuenire patet: nam prædictum concilium Tridentinum sess 5. citata vult prædicandi munus Curatis ex officio competere: illis autem præ alijs competit hoc munus, quibus ex officio competit. Hinc absolutè probo assertionem nostram de omnibus Clericis sæcularibus hoc pacto, Illis præ alijs competit prædicandi Prouincia quibus ex officio competit, sed Monachis & Religiosis choro occupatis ex officio non conuenit prædicandi Prouincia nisi fortè per

accidens, vt ipsimet fatentur, competit autem Clericis sæcularibus. igitur his præ illis competit Euangelij prædicandi Prouincia.
Secundò prædicandi officium est officium curæ: vnde non possunt hoc officium contemnere, qui animarum curam habent, vt bene notat Glo. in Cle. I. de regul. Iis igitur præ alijs competit prædicandi Prouincia, quibus competit cura animarum: hæc autem Clericis sæcularibus non Monachis aut Religiosis de iure communi conuenit: ijs igitur præ Religiosis adscribi debet hoc munus. Vide Ioannem Bertachinum in quarta parte repertorij. Dicere possent aduersarij hæc argumenta probare quidem Clericis sæcularibus Curatis præ Monachis & Religiosis hoc officium conuenire, non autem pręClericis sęcularibus non Curatis. Verùm pace eorum dictum sit, probant etiam de illis, vt consideranti patet. Deinde neque Religiosis præ Clericis sæcularibus non Curatis hoc conuenire sic demonstro. Officium prædicationis exigit hominem vacuum externis, etiam spiritualibus curis, illis igitur officium prædicationis præ alijs conuenire dicendum est, qui talibus curis minus distrahuntur: tales autem sunt Clerici sæculares, quippe qui nulla obligatione tenentur ad chorum & similia, ad quæ per regulas obligantur Religiosi pœne omnes. Quod officium prædicationis hominem externis etiam spiritualibus curis vacuum requirat. Clarum est: propterea enim Apostoli ne à prædicationis officio distraherentur, & inter cæteros Paulus Apostolus ne baptizare quidem volebat, vt magis sedulò euangelizaret ad hoc se missum scribens, non ad illud, vt doctè notauit more suo Ioannes Lorinus in caput sextum act. Apost. his verbis. *Exigit officium prædicationis hominem vacuum externis, quamuis spiritualibus curis; ita vt Paulus ne baptizare quidem vellet, quo magis sedulo euangelizaret ad hoc se missum scribens non ad illud.* Ad hanc rationem accedit alia non minùs valida, ad eosdem pertinet præ alijs docere, vel quod idem est prædicare, ad quos pertinet pascere, in Ecclesia enim qui est doctor est & pastor, & qui est pastor est etiam doctor, nec vnum ab alio secernere licet: vnde Augustinus ad Paulinum de illis Pauli ad Ephesios 4. verbis. *Et ipse dedit quosdam &c. Pastores* (inquit) *& Doctores quos maximè vt discernerem voluisti, eosdem puto esse, sicut & tibi visum est vt non alios Pastores alios Doctores intelligamus, sed ideo cùm prædixisset Pastores subiunxisse Doctores, vt intelligerent Pastores ad officium suum pertinere doctrinam.* Et Hieronymus in commentarijs ad Ephesios. *Non ait Paulus, alios autem Pastores, & alios Magistros, sed alios Pastores & Magistros, vt qui Pastor est esse debeat & Magister &c.* Tantùm autem abest vt Reli-

giosi præ alijs sint Pastores in Ecclesiâ, vt ne Curatum quidem vel Ecclesiam Parochialem citra dispensationem (nisi sit beneficium curatum sui ordinis & per fundationem additum) habere possint, idque statuitur in cap. Monachi, vt notauit Rebuffus in praxi beneficiorum titulo de dispensatione. Et sanè malè videretur in Ecclesia cautum ne Parochialium Ecclesiarum curam haberent, si illis præ Clericis sæcularibus conueniret prædicationis officium, quippe quod diximus esse præcipuam partem officij Pastoralis, vnde Deus ipse apud Ezechielem 34, 2. Pastores errantes oues non reducentes, nec debiles consolidantes, grauiter coarguit, dicens, *Væ Pastoribus Israël. qui pascebant seipsos, quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, & quod abiectum est non reduxistis, & quod perierat non quæsistis. Et dispersæ sunt oues meæ eo quod non esset Pastor.* Cùm igitur in Ecclesiâ statutum sit ne sine dispensatione Ecclesias Parochiales regant, aut Curatum habeant, sed Clericis sæcularibus talia beneficia committantur, videtur Ecclesia tacitè asserere prædicationis officium Clericis sæcularibus præ illis conuenire. Hanc eandem nostram sententiam veram esse existimarunt Patres, inter cæteros D. Augustinus loco citato nempe Epistola 59. vbi ait Paulum ad Ephesios 4. noluisse alios esse Pastores, alios Doctores, sed ideo cùm prædixisset Pastores subiunxisse Doctores; vt intelligerent Pastores ad officium suum pertinere doctrinam. Suscribit sanctus Bernardus lib. 2. ad Eugenium cap. 6. vbi infert Eugenium Pontificem non debere Erubescere Euangelium propterea quod Pastoris hæres. *Pastoris* (inquit) *es hæres, non est quod erubescas Euangelium.* Imò addit, *Euangelizare pascere est, fac opus Euangelistæ & Pastoris, opus implesti.* Quibus igitur præ alijs competit esse hæredes Pastorum, quibus competit præ alijs pascere, ijs competit præ alijs euangelizare & prædicare. Nec potest opinio Thomæ à Iesu cum ijs quæ ipsemet asserit consistere: affirmat enim sæpe & hac in parte bene vocatos esse Religiosos ad munus prædicandi Euangelium propter defectus Clericorum: quod si tantum propter defectus Clericorum vocati sunt, certè tantum per accidens vocati sunt, & per accidens prædicandi Prouincia ijs competit. Certè Angelicus Doctor D. Thomas 2. 2. q. 187. art. 1. expresè affirmat per concessionem tantum & priuilegium ordines mendicantes prædicare & Confessiones audire. *Vel ex commissione, aut priuilegio* (inquit) *quale concessum est ordinibus Mendicantium, quoad Confessiones & prædicationes.* Denique vt totam hanc materiam absoluam quomodo prædicandi Prouincia Religiosis

præ alijs conuenit, si regularū obseruantia cum eâ consistere nequeat? Adde causam lapsus ferè omnium religionum fuisse quod inter populares gentes nimis commixti fuerint Religiosi, & ita potius opera illorum didicerint quàm illos docuerint. Totum hoc latè prosequitur Ioannes Manburnus Canonicus regularis & Liuriacensis monasterij Abbas in primâ parte Roseti spiritualis. *Conuerti me* (Inquit) *deinde ad perscrutandas lapsus singulorum ordinum causas singulares. Et primò omnium contemplationis oculis occurrit celeberrimus ille ordo Canonicus, non infima portio Ecclesiæ sacræ: quippe qui (vt pace dixerim ordinum reliquorum] ordinibus omnibus, & tempore & dignitate prior; ex initijs nascentis Ecclesiæ sub sanctis Apostolis institutus adeo effloruit, vt videretur quasi Paradisus Dei; sed defloruit post, decidit, & exaruit: & post plurimas reformationes iterum iterumque est crebrò delapsus, vt hoc in inuestigario nostro plenius deductum. Cuius crebrioris recidiuationis potior mihi causa non occurrit, nisi quia iste ordo ex primariâ sui institutione Ecclesijs deseruiuit; quippe qui Clerus Ecclesiæ proprius erat. Vnde inter populares & gentes commixtus, tandem didicit opera illorum, & factus est sicut populus, sic & sacerdos. Perstat etenim sententia sancti, commixti sunt inter gentes, didicerunt opera illorum, factum est in scandalum illis, &c.* Hæc ille.

Argumenta Thomæ à Iesu hic soluerem si difficultatem illa aliquam continerent, verùm quia nullam continent, omitto. Tantùm monitum cupio lectorem id quod supra notaui omnia ferè ipsius argumenta æqué concludere contra Episcopos ac contra Clericos sæculares; & tamen Religiosis prę Episcopis prouinciam prędicandi Euangelium competere non audebit, opinor, dicere.

§. 3.us

DE LAVDABILI RELIGIOSORVM IN EVANGELIO PRÆDICANDO OPERA ET LABORIBVS

QVamuis vt ex prædicto constat paragrapho Religiosis præ Clericis sæcularibus non conueniat munus prædicandi Euangelium, negandum tamen non est quin ijs in hoc munere aliquis sit locus, quin imò omni cum veritate fatendum est illos strenuos gessisse sese operarios in vineâ Domini, ac longè plura quàm Clericos sæculares fecisse. Euidens est hoc ex hystorijs omnium pœnè gentium, Italiæ, Galliæ, Germaniæ, Scotiæ, Angliæ, Hispaniæ, &c. quarum maxima pars per Religiosos Ecclesiæ adiuncta est: nec cessant ijdem in vtraque Indiâ

gratulentur. Denique vt meam in te testentur voluntatem esse eam, quæ & gentis nostræ suscepta nuper quasi hæreditario iure, tutela, & meritorum in me obstricta vinculis, se omne tibi officij & seruitutis genus debere agnoscat & fateatur.

Vale.

PARS PRIMA

CAPVT PRIMVM.

§ 1.us

DE CVRA ET SOLLICITVDINE AD QVAM TENETVR SVMMVS PONTIFEX IN EXTIRPANDIS HÆRESIBVS.

AD ROMANVM Pontificem Christi in terris Vicarium pertinere Euangelij per vniuersum terrarum orbem propagationem nulli Catholico in dubium reuocare fas est, cùm scripturæ ac patrum auctoritas & ratio denique hoc apertè euincant. A scripturâ incipiamus. Clarum est Christum Dominum Ioannis vltimo sancto Petro Apostolorum Principi, eiusque successoribus Romanis Pontificibus ouile dominicum commisisse. *Pasce* (inquit) *oues meas*. Quas quæso? an tantùm tunc congregatas? illius loci vel temporis? neutiquam, sed omnes tam illius quàm futuri temporis dispersas ac dissipatas (quin imò nondum oues) quærere vt oues fierent, atque vt intra Euangelij septa cum reliquo grege pascerentur reuocare commisit, de quibus sanè Christus Ioannis 10. asseruit. *Alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili quas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor.* Quibus verbis clarum est Dominum loquutum esse de populo gentili, & Iudaico nondum ad fidem conuerso, qui etsi secundum præsentem iustitiam ab Ecclesiâ alienus sit, ad eamdem tamen, si diuinam electionem spectemus, vocatus est, vnde sanctus Chrisostomus libro 2. de sacerdotio ita loquitur. *Quamobrem ille* (id est Christus) *sanguinem suum effudit? certè vt errantes oues in vnum congregaret, quarum curam tum Petro tum eius successoribus committebat.* Accedit quod cùm multa sint Prophetarum vaticinia, quæ pronuntiant Christi sponsam Ecclesiam omnes gẽtes ad veritatis agnitionen adducturam, nec hoc ante Euangelij promulgationem adim-

pletum sit necesse est ad Petrum eiusque successores pertinere prædictas gentes conuocare, & ad veri luminis agnitionem adducere, & planè ita factum esse constat ex D. Luca act. 10. & ex ijs quæ nos superiùs diximus de gentium vocatione ad fidem, quæ consule. Tantùm hic addo illa visione Petro eiusque successoribus non solùm demonstratum fuisse gentes ad Ecclesiam traducendas esse: verùm ex suo officio eas adducere debere, quod manifestè illis verbis significatur. *Surge Petre, occide & manduca.* Capitis enim est manducare, & per manducationem in stomachum cibum traijcere illumque sibi incorporare; Petro ergo conuenit vt tanquam caput Ecclesiæ infideles conuertat, efficiatque Ecclesiæ membra. Denique & ratio hoc ipsum suadet. Cùm enim Christi Ecclesia continuò crescere debeat, nullùs sanæ mentis dubitare potest, quin ad diuinam prouidentiam spectet, vnum aliquem seligere cui primo hoc onus adducendi oues ad Euangelij caulas incumbat: hic autem alius non est quàm Romanus Pontifex Petri successor, Christi Vicarius, illi ergo hoc munus incumbit. Legi potest D Bernardus in libris de consideratione ad Eugenium Pontificem, vbi præclara planè habet de Romani Pontificis cura & sollicitudine, præsertim lib. 2. cap. 6. vbi Eugenium Pontificem ita alloquitur. *Exi in agrum Domini tui, exi inquam in mundum: ager enim est mundus, isque creditus tibi: Exi in illum non tanquam Dominus, sed tanquam villicus, videre & procurare vnde exigendus es rationem. Exi dixerim quibusdam tuæ passibus sententiæ, sollicitudinis, & sollicitæ intentionis:* Neque *enim ipsi qui visi sunt ire in orbem vniuersum, orbem circumiuerunt præsentiâ corporis, sed mentis prouidentia. Et tu leua oculos quosdam considerationis tuæ, & vide regiones, si non sint magis siccæ ad ignem quàm albæ ad messem: nonne si exis & cernis ista pudebit otiosum iacere securim? pudebit sine causa falcem Apostolicam accepisse?* Et lib. 4. text. 3. *Salutare mandatum, si amas me pasce oues meas: nempe in pompa Pontificia non affectanda pro debito, ad ea te potius incito, quorum te scio debitorem. Etsi purpuratus, etsi deauratus incedens; non est tamen quod horreas operam curamue pastoralem pastoris hæres: non est quod erubescas Euangelium. quanquam si volens euangelizes inter Apostolos quidem etiam gloria est tibi: Euangelizare pascere est. Fac opus Euangelistæ, & pastoris opus implesti.* Denique vt alia Bernardi loca omittam præclarè hoc idem docet in Epistola prima ad Eugenium his verbis. *Quis mihi det antequam moriar videre Ecclesiam Dei sicut erat in diebus antiquis? quando Apostoli laxabant retia in capturam: non in capturam argenti, vel auri, sed in capturam animarum, quam cupio illius te hæreditare vocem, cuius adeptus es sedem?* Et infra, *Hæc vehementer expectat & omnino*

expetit à te mater tua: hoc filij matris tuæ pusilli cum maioribus desiderant, hoc suspirant, vt omnis plantatio quam non plantauit pater Cœlestis tuis manibus eradicetur. Ad hoc enim constitutus es super gentes & regna vt euellas & destruas, & ædifices & plantes. Legatur sanctus Leo Papa sermone 3. de assumptione sua ad Pontificatum, & sermone 1. de natali Apostolorum Petri & Pauli, sanctus Chrisostomus in illa verba Ioannis 10. *Pasce oues meas.*

§ 2.us

CVRAM ET SOLLICITVDINEM CONVERSIONIS HÆRETICORVM ET INFIDELIVM SPECTARE ETIAM AD EPISCOPOS ET PRINCIPES SÆCVLARES

HActenus sufficienter probatum esse existimo ad Christi in terris Vicarium, Romanum nempe Pontificem spectare Hæreticorum & infidelium ouium, ita vt ex officio eas vocare & ad Christi ouile eas adducere debeat, discutiendum nunc est an etiam Episcopis & Principibus Christianis etiam sæcularibus hoc idem onus incumbat. Et quidem quod ad Episcopos attinet certum est illis hanc curam exercere, præsertim in suis Episcopatibus ex officio incumbere. Vnde D. Gregorium Papam negligentiam Episcoporum & Prælatorum seuerè adeo arguisse legimus, vt ad Ianuarium Episcopum scribat his verbis. *Rusticos quos habet Ecclesia tua, nunc vsque in infidelitate remanere negligentia fraternitatis vestræ permisit. Et quid vos admoneo vt extraneos ad Deum adducatis, qui vestros ab infidelitate corrigere negligitis? vnde necesse est vos per omnia in eorum conuersionem vigilare. Nam si cuiuslibet Episcopi in Sardinia insula paganum Rusticum inuenire potuero, in eundem Episcopum fortiter vindicabo. Iam verò si rusticus tantæ fuerit perfidiæ & obstinationis inuentus vt ad Deum venire minimè consentiat, tanto pensionis onere grauandus est, vt ipsa exactionis suæ pœna compellatur ad rectitudinem festinare.* Hæc D. Gregorius, ex quibus non solùm Episcopis infidelium conuersionem ex officio incumbere constat, verùm etiam & diligentiam discimus conuersioni infidelium ab ijsdem adhibendam. Neque hoc onus ad solos Episcopos, sed & alios Principes & Nobiles etiam sæculares pertinere docet idem Pontifex lib. 3. Registri Epist. 23. *Cognoui* (inquit) *pæne omnes vos Rusticos in vestris possessionibus Idololatriæ deditos habere, & valde hac de re contristatus sum.* Et inferius, *vnde magnifici filij exhortor vt omni cura omnique sollicitudine animarum vestrarum zelum habere*

debeatis, & quas rationes omnipotenti Deo de subditis reddituri estis attendite. Ad hoc quippe illi vobis commissi sunt, quatenus & ipsi vestræ vtilitati valeant ad terrena deseruire, & vos per vestram prouidentiam eorum animabus ea quæ sunt æterna, prospicere. Si igitur impendunt illi quod debent, vos eis cur non soluitis quod debetis? Et certè debere Reges & Principes religionem Catholicam tueri & propagare ex Isaia 49. 23. 6 Grillus & alij patres notarunt, cum ait Dominus: *Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum*, nempe Crucis, ait Hieronymus, *Et afferent filios suos in vlnis, & filias suas super humeros portabunt*, nempe Apostoli, qui nullum graue onus imposuere fidelibus: *& erunt Reges nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ.* Id quondam fecere Constantinus Magnus, Theodosius, Carolus Magnus, qui magnis impensis fidem Christianam fouerunt & propagarunt, & nunc per Dei gratiam plurimi Christiani Principes præstant. Constantini in Epistola ad Celsum Africæ Vicarium, quam recitat Cardinalis Baronius tomo 3 anno 316. & 318. hæc verba sunt. *Nequaquam me aliter maximum reatum effugere posse credo, quam vt hoc, quod improbè fit minimè existimem dissimulandum; cùm nihil potius à me agi instituto meo, ipsiusque principis munere agi oporteat, quàm vt discussis erroribus, omnibusque temeritatibus amputatis, veram religionem vniuersos, concordemque simplicitatem. atque meritam omnipotenti Deo culturam præsentare perficiam.* Reges certè plurimi dum regno inaugurantur hoc in primis iureiurando promittunt se fidei Catholicœ Romanæ assertores & vindices futuros, Ecclesiamque & pacem perpetuam defensuros. Et rectè, quia vt bene Leo Magnus ad Pulcheriam Augustam. *Res humanæ aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad diuinam confessionem pertinent, & Regia & Sacerdotalis defendat auctoritas.* Denique debere Principes nullam aliam in suis ditionibus tolerare religionem quam catholicam Romanam, & hæreses extirpare certum videtur ex psalmo 2. V. 11. vbi Regibus à Rege Dauide dictum est, *Seruite Domino in timore.* Quæ verba expendens D. Augustinus. *Quomodo* (inquit) *Reges seruiunt in timore nisi ea, quæ contra iussa Domini fiunt, religiosa seueritate prohibendo atque plectendo? Aliter enim seruit quia homo est aliter quia etiam Rex est. Quia homo est, ei seruit viuendo fideliter: quia vero etiam Rex est, seruit leges iusta præcipientes & contraria prohibentes, conuenienti rigore sanciendo.*

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

§. 1.us

DE DIGNITATE MVNERIS PRÆDICANDI EVANGELIVM.

PRædicandi munus esse nobilissimum ac dignissimum certum est ex varijs capitibus ex quibus desumitur. Primum est quod prædicatio fuerit præcipuè munus Christi qui postquam plures annos nos docuit exemplo ab ipso primo die suæ natiuitatis, prædicationem verbi sibi reseruauit in annum 30. Secundò colligitur ex eo quod primi successores & Legati Christi, Apostoli, cum alia munera baptizandi, administrandi alia sacramenta, gerendi curam viduarum, & alia his similia alijs discipulis commisissent, solum munus prædicationis sibi reseruarunt: non putarunt ergo hoc esse facilè alijs committendum. Tertiò ex dignitate ipsius rei quæ tractatur in prædicatione, tractatur enim verbum Dei, & scriptura sacra, cuius excellentia satis nota est.

§. 2.us

QVIBVS COMPETAT EVANGELIVM PRÆDICANDI PROVINCIA,

Vbi examinatur opinio R. P. F. Thomæ à Iesu Carmelitæ adscribentis hoc munus præcipuè & præ alijs Monachis & Religiosis etiam choro &c. occupatis.

POstquam de sollicitudine & cura ad quam tenentur Principes tum Ecclesiastici tum sæculares in extirpandis hæresibus actum est, reliquum est vt hoc loco quæramus ad quos præcipuè & præ alijs prædicandi Euangelium Prouincia pertineat, ad Clericos sæcularesne an verò ad Monachos & Religiosos, præsertim claustro occupatos. Thomas à Iesu Carmelita de conuersione omnium gentium lib. 2. parte 2. per totam, præsertim cap 2. totus est vt probet Monachis & Religiosis præ alijs conuenire: quibus verbis vult Religiosis & Monachis præ Clericis sæcularibus hoc officium competere: alioqui enim ineptè tam multa argumenta cumularet. Quis enim dubitat illis præ Laicis conuenire? Saluo tamen meliori iudicio existimo hoc officium Monachis

& Religiosis qui choro & similibus occupantur, præ alijs non conuenire. Antequam hoc probem suppono longè diuersam esse præsentem nostram quæstionem ab illa quæ agitata fuit inter Guillelmum quemdam oppidi Amoris & duos sanctissimos Ecclesiæ doctores Angelicum & Seraphicum: asserebat enim ille ad solos Clericos sæculares pertinere, non autem ad Religiosos quos nec ad populum conciones habere nec pœnitentium confessiones excipere, imò nec literis operam dare, posse dicebat. Verum eius impietatem non minus doctè quam piè refellerunt duo prædicti doctores Angelicus & Seraphicus, ille opusculo edito contra impugnantes religionem, hic verò in pauperum apologia. Suppono etiam contra stigmaticum perfugam Caluinum posse licitè Religiosos Sacerdotium suscipere absque eo quod faciant contra Dei institutum aut Sacerdotij naturam, etiamsi verbum Dei non annuntient, aut conciones habeant ad populum: docet enim Caluinus hoc ipso quod aliquis ordinatur Sacerdos teneri ad prædicationem verbi Dei: sic enim loquitur. *Ex mendicantibus nonnulli concionantur: reliqui omnes Monachi vel cantillant vel demurmurant Missas in suis latibulis: quasi ad hoc fieri præsbyteros, aut Christus voluerit, aut muneris natura patiatur. Quum scriptura palam testetur, Presbyteri esse propriam Ecclesiam regere: an non impia est profanatio, alio transferre imo penitus immutare sacrum Dei institutum? &c.* His suppositis nostram sententiam sic confirmo. Monachis & Religiosis choro obstrictis præ Episcopis non conuenit Euangelij prædicandi prouincia, igitur neque etiam præ Clericis sæcularibus. Antecedens huius argumenti nemo, vt arbitror, negabit, præsertim cum concilium Tridentinum sess. 5. cap. 2. decreti de reformatione & sess. 24. cap. 4. affirmet prædicare esse præcipuum Episcoporum munus, vetetque Regulares etiam in Ecclesijs suorum ordinum contradicente Episcopo prædicare. Consequentia argumenti inde euidens est quod omnia argumenta, quibus vtuntur aduersarij probent æquè bene de Episcopis ac de Clericis sæcularibus, vt legenti argumenta Thomæ à Iesu patebit. Deinde neque Monachis & Religiosis choro occupatis hoc officium præ Curatis conuenire patet: nam prædictum concilium Tridentinum sess. 5. citata vult prædicandi munus Curatis ex officio competere: illis autem præ alijs competit hoc munus, quibus ex officio competit. Hinc absolutè probo assertionem nostram de omnibus Clericis sæcularibus hoc pacto, Illis pre alijs competit predicandi Prouincia quibus ex officio competit, sed Monachis & Religiosis choro occupatis ex officio non conuenit prædicandi Prouincia nisi fortè per

accidens, vt ipsimet fatentur, competit autem Clericis sæcularibus. igitur his præ illis competit Euangelij prædicandi Prouincia.

Secundò prædicandi officium est officium curæ: vnde non possunt hoc officium contemnere, qui animarum curam habent, vt bene notat Glo. in Cle. I. de regul. Iis igitur præ alijs competit prædicandi Prouincia, quibus competit cura animarum: hæc autem Clericis sæcularibus non Monachis aut Religiosis de iure communi conuenit: ijs igitur præ Religiosis adscribi debet hoc munus. Vide Ioannem Bertachinum in quarta parte repertorij. Dicere possent aduersarij hæc argumenta probare quidem Clericis sæcularibus Curatis præ Monachis & Religiosis hoc officium conuenire, non autem pręę Clericis sęcularibus non Curatis. Verùm pace eorum dictum sit, probant etiam de illis, vt consideranti patet. Deinde neque Religiosis præ Clericis sæcularibus non Curatis hoc conuenire sic demonstro. Officium prædicationis exigit hominem vacuum externis, etiam spiritualibus curis, illis igitur officium prædicationis præ alijs conuenire dicendum est, qui talibus curis minus distrahuntur: tales autem sunt Clerici sæculares, quippe qui nulla obligatione tenentur ad chorum & similia, ad quæ per regulas obligantur Religiosi pœne omnes. Quod officium prædicationis hominem externis etiam spiritualibus curis vacuum requirat. Clarum est: propterea enim Apostoli ne à prædicationis officio distraherentur, & inter cæteros Paulus Apostolus ne baptizare quidem volebat, vt magis sedulò euangelizaret ad hoc se missum scribens, non ad illud, vt doctè notauit more suo Ioannes Lorinus in caput sextum act. Apost. his verbis. *Exigit officium prædicationis hominem vacuum externis, quamuis spiritualibus curis; ita vt Paulus ne baptizare quidem vellet, quo magis sedulo euangelizaret ad hoc se missum scribens non ad illud.* Ad hanc rationem accedit alia non minùs valida, ad eosdem pertinet præ alijs docere, vel quod idem est prædicare, ad quos pertinet pascere, in Ecclesia enim qui est doctor est & pastor, & qui est pastor est etiam doctor, nec vnum ab alio secernere licet: vnde Augustinus ad Paulinum de illis Pauli ad Ephesios 4. verbis. *Et ipse dedit quosdam &c. Pastores* (inquit) *& Doctores quos maximè vt discernerem voluisti, eosdem puto esse, sicut & tibi visum est vt non alios Pastores alios Doctores intelligamus, sed ideo cùm prædixisset Pastores subiunxisse Doctores, vt intelligerent Pastores ad officium suum pertinere doctrinam.* Et Hieronymus in commentarijs ad Ephesios. *Non ait Paulus, alios autem Pastores, & alios Magistros, sed alios Pastores & Magistros, vt qui Pastor est esse debeat & Magister &c.* Tantùm autem abest vt Reli-

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC MOECENATI SVO, DOMINO FRANCISCO S. R. E. CARDINALI BARBERINO, SCOTIÆ PROtectori, Vrbani VIII. Opt. Max. Pontif. Nepoti,

DAVID CAMERARIVS PRESBYTER SCOTVS OBSEQVIVM.

PRIMOS *lucubrationum nostrarum labores cui potissimum dicarem, non me sanè anxium diuturnior tenuit dubitatio*, Illustrissime Cardinalis, *quippe Vrbanus VIII. patruus tuus pij gratique monimentum animi, à me Scoto amantissimus Scotorum pater; lætam recens inauguratus Pontif. Max. gratulationem; primos vigiliarum fructus, diuini vicarius imperij; principium denique & caput operis, ipsum sanctissimum atque augustissimum Christiani orbis caput, iure suo postulabat. quidni & ipsum opus lucem prius recusaret aspicere, quàm sub patrocinij humano maioris quasi vmbrã & recessum confugeret, vt à sanctissima dextrâ velut à sacro medicamine contactum fieret non luminis modo, sed etiam flammæ patiens. Secundam adeo sortem secundum opusculum primo nec inuidit, nec inuidisse potuit, suopte scilicet nutu, ac velut natiuo impetu ferebatur ad eum, quem summo in terris principi, auctoritas, sapientia, maximéque virtus ipsa coniunxit magis quàm ipsum etiam arctissimum sanguinis vinculum. Suum ergo solem sua norunt sidera. Omnium se virtutum splendore, sed earum præsertim quibus sacro-sancti Collegij Senatorem decet esse conspicuum vniuerso terrarum orbi, velut solem, illucere omnes agnoscunt. Quæ quidem in hoc meo libello non suis expressæ coloribus, sed rudi adumbratæ penicillo [velut minora sidera, exiguæ suæ lucis conscia] in diem renuunt prodire, nisi abundantiore, à suo sole, id est à tuo patrocinio, communicato lumine, possint hominum ora non formidare, iudicia non pertimescere. Liceat igitur illis accedere*, Illustrissime Princeps, *primum vt ex illo tuo pectore, in quo illustrius multò emicant velut ex fœcundissimo lucis fonte, quod deest splendoris, cumulate hauriant: Deinde vt suis in teipso, se auctas honoribus, sibi gaudeant, tibi*

gratulentur. Denique vt meam in te testentur voluntatem esse eam, quæ & gentis nostræ suscepta nuper quasi hæreditario iure, tutela, & meritorum in me obstricta vinculis, se omne tibi officij & seruitutis genus debere agnoscat & fateatur.

Vale.

PARS
PRIMA
CAPVT PRIMVM.
§ 1.us
DE CVRA ET SOLLICITVDINE AD QVAM TENETVR SVMMVS PONTIFEX IN EXTIRPANDIS HÆRESIBVS.

AD ROMANVM Pontificem Christi in terris Vicarium pertinere Euangelij per vniuersum terrarum orbem propagationem nulli Catholico in dubium reuocare fas est, cùm scripturæ ac patrum auctoritas & ratio denique hæc apertè euincant. A scripturâ incipiamus. Clarum est Christum Dominum Ioannis vltimo sancto Petro Apostolorum Principi, eiusque successoribus Romanis Pontificibus ouile dominicum commisisse. *Pasce* [inquit) *oues meas.* Quas quæso? an tantùm tunc congregatas? illius loci vel temporis? neutiquam, sed omnes tam illius quàm futuri temporis dispersas ac dissipatas (quin imò nondum oues) quærere vt oues fierent, atque vt intra Euangelij septa cum reliquo grege pascerentur reuocare commisit, de quibus sanè Christus Ioannis 10. asseruit. *Alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili quas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor.* Quibus verbis clarum est Dominum loquutum esse de populo gentili, & Iudaico nondum ad fidem conuerso, qui etsi secundum præsentem iustitiam ab Ecclesiâ alienus sit, ad eamdem tamen, si diuinam electionem spectemus, vocatus est, vnde sanctus Chrisostomus libro 2. de sacerdotio ita loquitur. *Quamobrem ille* (id est Christus) *sanguinem suum effudit? certè vt errantes oues in vnum congregaret, quarum curam tum Petro tum eius successoribus committebat.* Accedit quod cùm multa sint Prophetarum vaticinia, quæ pronuntiant Christi sponsam Ecclesiam omnes gẽtes ad veritatis agnitionen adducturam, nec hoc ante Euangelij promulgationem adim-

pletum sit necesse est ad Petrum eiusque successores pertinere prædictas gentes conuocare, & ad veri luminis agnitionem adducere, & planè ita factum esse constat ex D. Luca act. 10. & ex ijs quæ nos superiùs diximus de gentium vocatione ad fidem, quæ consule. Tantùm hic addo illa visione Petro eiusque successoribus non solùm demonstratum fuisse gentes ad Ecclesiam traducendas esse: verùm ex suo officio eas adducere debere, quod manifestè illis verbis significatur. *Surge Petre, occide & manduca.* capitis enim est manducare, & per manducationem in stomachum cibum traijcere illumque sibi incorporare; Petro ergo conuenit vt tanquam caput Ecclesiæ infideles conuertat, efficiatque Ecclesiæ membra. Denique & ratio hoc ipsum suadet. Cùm enim Christi Ecclesia continuò crescere debeat, nullùs sanæ mentis dubitare potest, quin ad diuinam prouidentiam spectet, vnum aliquem seligere cui primo hoc onus adducendi oues ad Euangelij caulas incumbat: hic autem alius non est quàm Romanus Pontifex Petri successor, Christi Vicarius, illi ergo hoc munus incumbit. Legi potest D Bernardus in libris de consideratione ad Eugenium Pontificem, vbi præclara planè habet de Romani Pontificis cura & sollicitudine, præsertim lib 2. cap. 6. vbi Eugenium Pontificem ita alloquitur. *Exi in agrum Domini tui, exi inquam in mundum: ager enim est mundus, isque creditus tibi: Exi in illum non tanquam Dominus, sed tanquam villicus, videre & procurare vnde exigendus es rationem. Exi dixerim quibusdam tuæ passibus sententiæ, sollicitudinis, & sollicitæ intentionis: Neque enim ipsi qui visi sunt ire in orbem vniuersum, orbem circumiuerunt præsentiâ corporis, sed mentis prouidentia. Et tu leua oculos quosdam considerationis tuæ, & vide regiones, si non sint magis siccæ ad ignem quàm albæ ad messem: nonne si exis & cernis ista pudebit otiosam iacere securim? pudebit sine causa falcem Apostolicam accepisse?* Et lib. 4. text. 3. *Salutare mandatum, si amas me pasce oues meas: nempe in pompa Pontificia non affectanda pro debito, ad ea te potius incito, quorum te scio debitorem. Etsi purpuratus, etsi deauratus incedens; non est tamen quod horreas operam curamue pastoralem pastoris hæres: non est quod erubescas Euangelium. quanquam si volens euangelizes inter Apostolos quidem etiam gloria est tibi: Euangelizare pascere est. Fac opus Euangelistæ, & pastoris opus implesti.* Denique vt alia Bernardi loca omittam præclarè hoc idem docet in Epistola prima ad Eugenium his verbis. *Quis mihi det antequam moriar videre Ecclesiam Dei sicut erat in diebus antiquis? quando Apostoli laxabant retia in capturam: non in capturam argenti, vel auri, sed in capturam animarum, quam cupio illius te hæreditare vocem, cuius adeptus es sedem?* Et infra, *Hæc vehementer expectat & omnino*

expetit à te mater tua: hoc filij matris tuæ pusilli cum maioribus desiderant, hoc suspirant, vt omnis plantatio quam non plantauit pater Cœlestis tuis manibus eradicetur. Ad hoc enim constitutus es super gentes & regna vt euellas & destruas, & ædifices & plantes. Legatur sanctus Leo Papa sermone 3. de assumptione sua ad Pontificatum, & sermone 1. de natali Apostolorum Petri & Pauli, sanctus Chrisostomus in illa verba Ioannis 10. *Pasce oues meas.*

§ 2.us

CVRAM ET SOLLICITVDINEM CONVERSIONIS HÆRETICORVM ET INFIDELIVM SPECTARE ETIAM AD EPISCOPOS ET PRINCIPES SÆCVLARES

HActenus sufficienter probatum esse existimo ad Christi in terris Vicarium, Romanum nempe Pontificem spectare Hæreticorum & infidelium ouium, ita vt ex officio eas vocare & ad Christi ouile eas adducere debeat, discutiendum nunc est an etiam Episcopis & Principibus Christianis etiam sæcularibus hoc idem onus incumbat. Et quidem quod ad Episcopos attinet certum est illis hanc curam exercere, præsertim in suis Episcopatibus ex officio incumbere. Vnde D. Gregorium Papam negligentiam Episcoporum & Prælatorum seuerè adeo arguisse legimus, vt ad Ianuarium Episcopum scribat his verbis. *Rusticos quos habet Ecclesia tua, nunc vsque in infidelitate remanere negligentia fraternitatis vestræ permisit. Et quid vos admoneo vt extraneos ad Deum adducatis, qui vestros ab infidelitate corrigere negligitis? vnde necesse est vos per omnia in eorum conuersionem vigilare. Nam si cuiuslibet Episcopi in Sardinia insula paganum Rusticum inuenire potuero, in eundem Episcopum fortiter vindicabo. Iam verò si rusticus tantæ fuerit perfidiæ & obstinationis inuentus vt ad Deum venire minimè consentiat, tanto pensionis onere grauandus est, vt ipsa exactionis suæ pœna compellatus ad rectitudinem festinare.* Hæc D. Gregorius, ex quibus non solùm Episcopis infidelium conuersionem ex officio incumbere constat, verùm etiam & diligentiam discimus conuersioni infidelium ab ijsdem adhibendam. Neque hoc onus ad solos Episcopos, sed & alios Principes & Nobiles etiam sæculares pertinere docet idem Pontifex lib. 3. Registri Epist. 23. *Cognoui* (inquit) *pœne omnes vos Rusticos in vestris possessionibus Idololatriæ deditos habere, & valde hac de re contristatus sum.* Et inferius, *vnde magnifici filij exhortor vt omni cura omnique sollicitudine animarum vestrarum zelum habere*

debeatis, & quas rationes omnipotenti Deo de subditis reddituri estis attendite. Ad hoc quippe illi vobis commissi sunt, quatenus & ipsi vestræ vtilitati valeant ad terrena deseruire, & vos per vestram prouidentiam eorum animabus ea quæ sunt æterna, prospicere. Si igitur impendunt illi quod debent, vos eis cur non soluitis quod debetis? Et certè debere Reges & Principes religionem Catholicam tueri & propagare ex Isaia 49. 23. 6 Grillus & alij patres notarunt, cum ait Dominus: *Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum*, nempe Crucis, ait Hieronymus, *Et afferent filios suos in vlnis, & filias suas super humeros portabunt*, nempe Apostoli, qui nullum graue onus imposuere fidelibus: *& erunt Reges nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ.* Id quondam fecere Constantinus Magnus, Theodosius, Carolus Magnus, qui magnis impensis fidem Christianam fouerunt & propagarunt, & nunc per Dei gratiam plurimi Christiani Principes præstant. Constantini in Epistola ad Celsum Africæ Vicarium, quam recitat Cardinalis Baronius tomo 3 anno 316. & 318. hæc verba sunt. *Nequaquam me aliter maximum reatum effugere posse credo, quam vt hoc, quod improbè fit minimè existimem dissimulandum; cùm nihil potius à me agi instituto meo, ipsiusque principis munere agi oporteat, quàm vt discussis erroribus, omnibusque temeritatibus amputatis, veram religionem vniuersos, concordemque simplicitatem. atque meritam omnipotenti Deo culturam præsentare perficiam.* Reges certè plurimi dum regno inaugurantur hoc in primis iureiurando promittunt se fidei Catholicæ Romanæ assertores & vindices futuros, Ecclesiamque & pacem perpetuam defensuros. Et rectè, quia vt bene Leo Magnus ad Pulcheriam Augustam. *Res humanæ aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad diuinam confessionem pertinent, & Regia & Sacerdotalis defendat auctoritas.* Denique debere Principes nullam aliam in suis ditionibus tolerare religionem quam catholicam Romanam, & hæreses extirpare certum videtur ex psalmo 2. V. 11. vbi Regibus à Rege Dauide dictum est, *Seruite Domino in timore.* Quæ verba expendens D. Augustinus. *Quomodo* (inquit) *Reges seruiunt in timore nisi ea, quæ contra iussa Domini fiunt, religiosa seueritate prohibendo atque plectendo? Aliter enim seruit quia homo est aliter quia etiam Rex est. Quia homo est, ei seruit viuendo fideliter: quia vero etiam Rex est, seruit leges iusta præcipientes & contraria prohibentes, conuenienti rigore sanciendo.*

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

§. I.us.

DE DIGNITATE MVNERIS PRÆDICANDI EVANGELIVM.

PRædicandi munus esse nobilissimum ac dignissimum certum est ex varijs capitibus ex quibus desumitur. Primum est quod prædicatio fuerit præcipuè munus Christi qui postquam plures annos nos docuit exemplo ab ipso primo die suæ natiuitatis, prædicationem verbi sibi reseruauit in annum 30. Secundò colligitur ex eo quod primi successores & Legati Christi, Apostoli, cum alia munera baptizandi, administrandi alia sacramenta, gerendi curam viduarum, & alia his similia alijs discipulis commisissent, solum munus prædicationis sibi reseruarunt: non putarunt ergo hoc esse facilè alijs committendum. Tertiò ex dignitate ipsius rei quæ tractatur in prædicatione, tractatur enim verbum Dei, & scriptura sacra, cuius excellentia satis nota est.

§. 2.us.

QVIBVS COMPETAT EVANGELIVM PRÆDICANDI PROVINCIA,

Vbi examinatur opinio R. P. F. Thomæ à Iesu Carmelitæ adscribentis hoc munus præcipuè & præ alijs Monachis & Religiosis etiam choro &c. occupatis.

POstquam de sollicitudine & cura ad quam tenentur Principes tum Ecclesiastici tum sæculares in extirpandis hæresibus actum est, reliquum est vt hoc loco quæramus ad quos præcipuè & præ aliis prædicandi Euangelium Prouincia pertineat, ad Clericos sæcularesne an verò ad Monachos & Religiosos, præsertim claustro occupatos. Thomas à Iesu Carmelita de conuersione omnium gentium lib. 2. parte 2. per totam, præsertim cap. 2. totus est vt probet Monachis & Religiosis præ alijs conuenire: quibus verbis vult Religiosis & Monachis præ Clericis sæcularibus hoc officium competere: alioqui enim ineptè tam multa argumenta cumularet. Quis enim dubitat illis præ Laicis conuenire? Saluo tamen meliori iudicio existimo hoc officium Monachis

accidens, vt ipsimet fatentur, competit autem Clericis sæcularibus. igitur his præ illis competit Euangelij prædicandi Prouincia.

Secundò prædicandi officium est officium curæ: vnde non possunt hoc officium contemnere, qui animarum curam habent, vt bene notat Glo. in Cle. I. de regul. Iis igitur præ alijs competit prædicandi Prouincia, quibus competit cura animarum: hæc autem Clericis sæcularibus non Monachis aut Religiosis de iure communi conuenit: ijs igitur præ Religiosis adscribi debet hoc munus. Vide Ioannem Bertachinum in quarta parte repertorij. Dicere possent aduersarij hæc argumenta probare quidem Clericis sæcularibus Curatis præ Monachis & Religiosis hoc officium conuenire, non autem pręClericis sęcularibus non Curatis. Verùm pace eorum dictum sit, probant etiam de illis, vt consideranti patet. Deinde neque Religiosis præ Clericis sæcularibus non Curatis hoc conuenire sic demonstro. Officium prædicationis exigit hominem vacuum externis, etiam spiritualibus curis, illis igitur officium prædicationis præ alijs conuenire dicendum est, qui talibus curis minus distrahuntur: tales autem sunt Clerici sæculares, quippe qui nulla obligatione tenentur ad chorum & similia, ad quæ per regulas obligantur Religiosi pœne omnes. Quod officium prædicationis hominem externis etiam spiritualibus curis vacuum requirat. Clarum est: propterea enim Apostoli ne à prædicationis officio distraherentur, & inter cæteros Paulus Apostolus ne baptizare quidem volebat, vt magis sedulò euangelizaret ad hoc se missum scribens, non ad illud, vt doctè notauit more suo Ioannes Lorinus in caput sextum act. Apost. his verbis. *Exigit officium prædicationis hominem vacuum externis, quamuis spiritualibus curis; ita vt Paulus ne baptizare quidem vellet, quo magis sedulo euangelizaret ad hoc se missum scribens non ad illud.* Ad hanc rationem accedit alia non minùs valida, ad eosdem pertinet præ alijs docere, vel quod idem est prædicare, ad quos pertinet pascere, in Ecclesia enim qui est doctor est & pastor, & qui est pastor est etiam doctor, nec vnum ab alio secernere licet: vnde Augustinus ad Paulinum de illis Pauli ad Ephesios 4. verbis. *Et ipse dedit quosdam &c. Pastores* (inquit) *& Doctores quos maximè vt discernerem voluisti, eosdem puto esse, sicut & tibi visum est vt non alios Pastores alios Doctores intelligamus, sed ideo cùm prædixisset Pastores subiunxisse Doctores, vt intelligerent Pastores ad officium suum pertinere doctrinam.* Et Hieronymus in commentarijs ad Ephesios. *Non ait Paulus, alios autem Pastores, & alios Magistros, sed alios Pastores & Magistros, vt qui Pastor est esse debeat & Magister &c.* Tantùm autem abest vt Reli-

præ alijs conuenit, si regularū obseruantia cum eâ consistere nequeat? Adde causam lapsus fere omnium religionum fuisse quod inter populares gentes nimis commixti fuerint Religiosi, & ita potius opera illorum didicerint quàm illos docuerint. Totum hoc latè prosequitur Ioannes Manburnus Canonicus regularis & Liuriacensis monasterij Abbas in primâ parte Roseti spiritualis. *Conuerti me* (inquit) *deinde ad perscrutandas lapsus singulorum ordinum causas singulares. Et primò omnium contemplationis oculis occurrit celeberrimus ille ordo Canonicus, non infima portio Ecclesiæ sacræ: quippe qui (vt pace dixerim ordinum reliquorum] ordinibus omnibus, & tempore & dignitate prior; ex initijs nascentis Ecclesiæ sub sanctis Apostolis institutus adeo effloruit, vt videretur quasi Paradisus Dei; sed defloruit post, decidit, & exaruit: & post plurimas reformationes iterum iterumque est crebrò delapsus, vt hoc in inuestigario nostro plenius deductum. Cuius crebrioris recidiuationis potior mihi causa non occurrit, nisi quia iste ordo ex primariâ sui institutione Ecclesijs deseruiuit; quippe qui Clerus Ecclesiæ proprius erat. Vnde inter populares & gentes commixtus, tandem didicit opera illorum, & factus est sicut populus, sic & sacerdos. Perstat etenim sententia sancti, commixti sunt inter gentes, didicerunt opera illorum, factum est in scandalum illis, &c.* Hæc ille.

Argumenta Thomæ à Iesu hic soluerem si difficultatem illa aliquam continerent, verùm quia nullam continent, omitto. Tantùm monitum cupio lectorem id quod supra notaui omnia ferè ipsius argumenta æqué concludere contra Episcopos ac contra Clericos sæculares; & tamen Religiosis prę Episcopis prouinciam prędicandi Euangelium competere non audebit, opinor, dicere.

§. 3.us

DE LAVDABILI RELIGIOSORVM IN EVANGELIO PRÆDICANDO OPERA ET LABORIBVS

QVamuis vt ex prædicto constat paragrapho Religiosis præ Clericis sæcularibus non conueniat munus prædicandi Euangelium, negandum tamen non est quin ijs in hoc munere aliquis sit locus, quin imò omni cum veritate fatendum est illos strenuos gessisse sese operarios in vineâ Domini, ac longè plura quàm Clericos sæculares fecisse. Euidens est hoc ex hystorijs omnium pœnè gentium, Italiæ, Galliæ, Germaniæ, Scotiæ, Angliæ, Hispaniæ, &c. quarum maxima pars per Religiosos Ecclesiæ adiuncta est: nec cessant ijdem in vtraque Indiâ

ges Idololatras Christi iugo subiecit. Plusquam quadringintā millia baptismo expiauit. Mortuos ad vitam non pauciores quàm viginti (quod de nullo alio sancto legisse me memini) reuocauit. Denique non contentus tot vbique locorum terras, tot maria docendis populis perlustrasse: tot Insulas, Prouincias, Regna, Deo peperisse, à capite rem exorsus, in Sinas expeditionem adornat. Atque emenso iterum Oceano in Sancianum Insulam Sinis proximam defertur, Sinarum claustra seuerissimis quanquam legibus custodijsque firmata, tentaturus. Vbi derelictus simul ab interprete, simul ab hospite, morbo correptus, deserta in Insula, in humili tugurio, in magnâ rerum omnium inopiâ, hoc vnum ægerrimè ferens, se iuuandorum hominum aditu prohiberi, cæterùm Dei desiderio videndi supra modum incensus, annos natus quinquaginta quinque, decennio post suum in Indiam aduentum, sanctissimè moritur: Indiarum Apostoli nomen consequutus, non tam aliorum prædictionibus, aut Lusitanorum, Indorumque consensu populorum, quàm proprijs virtutibus, quibus se Apostolorum ad vitam conformauit, ac donis atque miraculis, quibus ad Apostolorum gloriam extulit illum Deus: adeo vt toto Oriente non alio nomine, quàm Apostolus appelletur ab omnibus, etiam ab Ethnicis, qui ad eius sepulchrum äccedere venerabundi, eiusque opem implorare nunquam intermittunt.

Aliud exemplum est sancti Vincentij ex sacrâ sancti Dominici familiâ, quem mirabile, tot regiones percurrere potuisse, quot ille Euangelizando peragrauit. Primùm enim in Hispaniâ Valentiæ regnum, Catalauniam, Aragoniam, Nauarram: Denique excepta Galitiâ & Lusitaniâ, quibus ob certas causas abstinuit, singulas prouincias, singulas vrbes, singula ferè oppida obijt. Hinc Galliam ingressus, regnum Occitanum, Delphinatum, Franciam, Burgundiam, Normandiam, Prouinciam, Aruerniam, Vascouiam, Britanniam, & Flandriam ipsam, ac totam Sabaudiam inuisit; postea in Italiam descendens, Pedemontum, Insubriam, Liguriam, & omnia eius littora adijt. Deinde etiam ad Baleares Insulas nauigauit. Postremò ab Henrico Anglorum Rege humanissimis literis, & naui ad ipsum missa inuitatus, Angliam priùs, deinde Scotiam, postremò etiam Hiberniam Irlandicā lustrauit, & quidem non Metropoles tantùm aut Maiores ciuitates, sed villas ipsas & ignobiles pagos Christi causâ & exemplo circumiens. Itaque quis præter Deum numerare poterit quod ille animas ex vitiorum cœno reuocarit, quæ vitia ex totis ciuitatibus & prouincijs eradicarit,

quantam lucem diuinarum rerum reliquerit? Illudquidem constat ex Iudæorum sectâ, contra quorum perfidiam, cùm eo tempore abundaret, illius zelus exarserat, supra viginti & quinque millia, Saracenorum octo millia ab eo ad Christum adducta fuisse, Christianorum verò perditorum, qui se ad bonam frugem receperunt, plusquam centum millia. Denique vbique se gessit, vt verum sancti Dominici filium & sacri illius ordinis dignum alumnum decebat. Notum enim satis est quantum sacri sancti Dominici ordinis viri peculiari Spiritus sancti impulsu incitati, ac cœlestis amoris singulari ardore inflammati ad gloriam Christianæ religionis amplificandam integramque Euangelicæ disciplinæ propagationem incubuerint semper atque contulerint.

§. 4.us

QVA CONCIONATORI EVANGELICO OPVS SIT SCIENTIA.

PRouidendum vt concionatores Euangelij, præsertim inter Hæreticos probè didicerint, & intellexerint quod alios docere voluerint, & si ætatis & iudicij maturitate caruerint, ne illud tam sublime officium illotis quasi manibus & velut muscæ in accensam candelam involent, honoris lumine delectati, & combustionis periculum non attendentes, quos moralis Doctor B. Gregorius Magnus seriò ab hac inconsideratissima temeritate deterret 3. part. Post. admonit. 26. *Admonendi sunt* (ait) *quos à prædicationis officio vel imperfectio vel ætas prohibet, & tamen præcipitatio impellit: ne dum tanti sibi onus officij præcipitatione arrogant, viam sibi sequentis melioritatis abscindant: & cùm arripuerint intempestiuè quod non valent, perdant etiam quod implere quandoque tempestiuè potuissent: atque scientiam quam incongruè conantur ostendere, iustè ostendantur amisisse.* Admonendi sunt vt considerent quod structuris recentibus, necdum solidatis, si tignorum pondus superponitur, non habitaculum sed ruina fabricatur. Admonendi sunt, vt considerent quod conceptas soboles fœminæ si priusquam plenè formentur proferunt: nequaquam domos, sed tumulos replent. Hinc est quod ipsa veritas, quæ repente quos vellet roborare potuisset: vt exemplum sequentibus daret, ne imperfecti prædicare præsumerent, postquam discipulos de virtutis prædicatione instruxit, illa adiunxit. Vos autem sedete in ciuitate quoadvsque induamini virtute ex alto. In ciuitate quippe considemus: si intra mentium nostrarum nos claustra constringimus: ne loquendo

exterius euagemur, vt cum virtute diuina perfectè induimur: tunc quasi à nobilmetipsis foras etiam alios instruentes, exeamus. Hinc per quemdam sapientem dicitur Eccl. 32. v. 10. Adolescens loquere in tuâ causâ vix. Et si bis interrogatus fueris, habeat initium responsio tua. Hinc est quod idem Redemptor noster cùm in cœlis sit conditor, & ostensione suę potentię semper doctor Angelorum, ante tricenale tempus in terrâ Magister noluit fieri hominum, vt videlicet præcipitatis vim saluberrimam timoris infunderet: cùm ipse etiam qui labi non posset perfectæ vitæ gratiam nonnisi perfectâ ætate prædicaret. Scriptum quippe est, Luc. 2. V. 42. *Cùm factus esset puer annorum duodecim, remansit puer Iesus in Hierusalem.* De quo à parentibus requisito paulò post subditur, V. 46. *Inuenerunt illum in templo in medio Doctorum audientem illos & interrogantem.* Vigilanti itaque consideratione pensandum est, quod cùm Iesus annorum duodecim dicitur in medio Doctorum sedens: non docens, sed interrogans inuenitur. Quo exemplo sat ostenditur ne infirmus quis docere audeat, si ille puer doceri interrogando voluit, qni per diuinitatis potentiam verbum scientiæ ipsis suis Doctoribus ministrauit.

Sanctus Hieronymus epist. 2. ad nep. cap. 8. *Diuinas* [inquit) *scripturas sæpius lege, immò nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur. Disce quod doceas.* Et rursum S. Heronym. epist. 4. ad Rusticum monachum, & habetur 16. quæst. 1. cap. 27. *Si Clericatus* (ait] *titillat desiderium, discas quod possis docere, & rationabilem Deo offeras hostiam, ne sis miles, priusquam tyro, ne priùs magister sis quàm discipulus.*

Verùm quantumuis humana, diuinaque scientiâ perpolitus sit concionator, toto tamen pectore in studium incumbat necesse est. Sic Apostolus suum hortatur Timotheum 1. Epist. 4. V. 13. *Dum venio attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. Inuigila sanctis scripturis, vt alios queas exhortari & docere.* Et cui hoc scribebat D. Paulus? cui dat testimonium? 2. Timot. 3 Vers. 15. ab infantiâ sacras literas nosti. Si nouerat quid opus studio? Pro se ac sancto Thimotheo respondet D. Augustinus Doctorum Princeps epist. 3. ad Volusianum, cuius sententia à nobis recitata est cap 50. quæ hunc habet sensum: quod quamuis in scriptura eæ res pateant, in promptuque sint omnibus, quæ ad salutem sunt necessariæ, tamen tam multa, tam varia, tam abstrusa in eâ latent mysteria, vt illa ab humano ingenio penetrari & exhauriri nequeant, vt nunquam studendi discendique desit materia. S. Quin & ipse diuinus Paulus diuino huic studio immortuus est. Licet enim Euangelium

diuinitus edoctus esset, Galat. 1. vers. 11. 12. & martyrio proximus, *Ego* (inquit) *iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat.* Tamen vers. 16. subiungit; *Penulam* (S. Hieronym. 3. lib. aduersus Pelag. *lacernam* hoc est pallium, siue extremam vestem, quâ in carcere se contra aëris iniurias muniat, nec ab alijs petere cogatur) *quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum & libros* [veteris & noui testamenti scriptos codices) *maximè autem membranas* (à me scriptas) vt nimirum ijs viuens vtatur, tam sanctæ scripturæ studio deditus erat, & moriens Christianis relinqueret. *Tamdiu discendum nobis est quamdiu viuitur,* dicebat Solon. *Beati qui scrutantur testimonia Domini, & in toto corde exquirunt eum,* Psal. 118. V. 2. S. Sanctus Bernardus sermone 18. in Cantica, *Sanè* (inquit) *cauendum in his aut dare quod nobis accepimus: aut quod erogandum accepimus retinere.* Rem profectò proximi retines tibi, si verbi causâ plenus virtutibus cùm sis, forisque nihilominus donis scientiæ & eloquentiæ ornatus, metu fortè aut segnitie, aut minus discreta humilitate verbum bonum quod posset prodesse multis, inutili, imò & damnabili ligas silentio, certè maledictus quod frumenta abscondis in populis. Rursum quod tuum est spargis & perdis, si priusquam infundaris totus, semiplenus festines effundere contra legem arans in primogenito bouis, & ouis primogenitum tondens, nimirum vita atque salute, quam alteri das, te fraudas, dum sana vacuus intentione, gloriæ inanis vento inflaris, aut terrenæ cupiditatis veneno inficeris, & lethali apostemate turgens interis. Quamobrem si sapis, concham te exhibebis, & non canalem. Hic siquidem pœnè simul & recipit & refundit, illa verò donec impleatur, expectat, & sic quod superabundat sine suo damno communicat, sciens maledictum, qui partem suam fecit deteriorem. Et ne meum consilium contemptibile ducas, audi sapientiorem me, *Stultus* [ait Salomon) *profert totum spiritum suum simul, sapiens reseruat in posterum.* Verùm canales multos hodie habemus in Ecclesia, conchas verò perpaucas. Tantæ charitatis sunt, per quos nobis fluenta cœlestia emanant, vt ante effundere quàm infundi velint loqui quàm audire paratiores, & prompti docere quod non didicerunt, & alijs præesse gestientes, qui seipsos regere nesciant. Et quidem sine solida eruditione ad docendum præcipites silentio Christi Domini ad trigesimum vsque annum seruato sugillat idem S. Bernardus serm. 1. in Epiphania Domini. *Hic est* (ait Pater Math. 17. V. 5.) *filius meus dilectus in quo mihi bene placui.* Ecce domine Iesu vel iam nunc loquere. quousque siles? quousque dissimulas? Diu tacuisti, & valde diu: vel

fam nunc licentiam loquendi habes à patre. Quamdiu virtus & Dei ſapientia quaſi infirmus aliquis & inſipiens lates in populo ? quamdiu nobilis Rex & Rex cœli, fabri filium te pateris appellari pariter & putari? Etenim Lucas Euangeliſta teſtatur cap. 3. V. 23. *Quoniam adhuc filius Ioſeph putabatur.* O humilitas virtus Chriſti quantùm confundis ſuperbiam noſtræ vanitatis? Parum aliquid ſcio, vel magis ſcire mihi videor, & iam ſilree non poſſum, impudenter me & imprudenter ingerens & oſtentans, promptus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum. Et Chriſtus cum tanto tempore ſilebat, cùm ſe ipſum abſcondebat, nunquid inanem gloriam metuebat? Quid timeret ab inani gloria, qui eſt vera gloria patris? vtique timebat, ſed non ſibi. Nobis timebat ab illa, quibus nouerat eſſe timendum: nobis cauebat, nos inſtruebat. Tacebat ore, ſed inſtruebat opere; & quod poſtea docuit verbo, iam clamabat exemplo. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* S. Iſtam in pulpita inſiliendi & ſine neceſſaria virtute ac eruditione docendi temeritatem reprehendit ſanctus Gregorius Nazianzenus Apologetico 1. tam malè affecti ſumus vt maior pars noſtrum ne dicam omnes, prius ferè quam lanuginem primam abiecerint, puerilique more balbutire deſierint, priuſquam diuina atria ingreſſi ſint, priuſquam ſacra volumina vel de nomine nouerint, priuſquam noui teſtamentique veteris ſigna notaſque cognouerint: nondum enim dico priuſquam impuræ flagitioſęque vitæ cœnum abſterſerint, eaſque animæ fœditates, quas nobis peccatum aſperſit, ſi duas aut tres pias voces edidicerimus, ac nec id quidem ex lectione, ſed ex auditione, aut Dauidi nonnihil operæ dederimus, aut pallium ſcitè contrahamus, aut zona tenus philoſophemur, pietatiſque ſpecie quadam aut fuco noſmetipſos oblinamus, papæ, quàm egregia præfectura! quàm excelſus animus! protinus Samuëlem ab ipſis incunabulis ſacro-ſanctum in ore habemus, protinus ſapientes ſumus, & præceptores & rerum diuinarum cognitione ſublimes, & Scribarum & Legiſlatorum primi noſque ipſos calculo noſtro cœleſtes deſignamus, ac vocari ab hominibus Rabbi expetimus: nec vſquam litera, ſed omnia ſpirituali modo intelligenda ſunt, meraque deliramenta inſomnia noſtra tulerimus, niſi mirificis laudibus in cœlum efferamur. Ac mihi pulchrè illud Salomonis quadrare videtur. *Eſt peruerſitas quam vidi ſub ſole hominem opinione ſuâ ſapientem, & quod ſceleratius eſt, alijs inſtruendis præfectum, qui ne ſuæ quidem ignorantiæ ſibi ſit conſcius.* Hoc vitium lacrymis quidem & luctibus, ſi quod aliud, dignum eſt, idque ſæpenumero mecum ipſe de-

ploraui, optimè sciens, opinionem rei opinione conceptæ maximam partem aufferre, inanisque gloriæ studium ad virtutis adeptionem hominibus plurimùm obesse. S. Et quidem S. Paulus hoc nomine commendat B. Timotheum 2. Epist. cap. 3. V. 14. & 15. quod piam veramque doctrinam ab illo ipsemet hauserit, & legis Prophetarumque cognitionem à teneris vnguiculis perceperit, hortaturque vt his constanter inhæreat, vt quæ sacræ literæ illum informant, quomodo per fidem in Christum salutem consequatur. Apostoli verba sunt. *tu vero permane in ijs quæ didicisti, & credita sunt tibi: sciens à quo didiceris, & quia ab infantiâ sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Iesu.* S. Quæ optima discendi docendique ratio, tradit sanctus Bernardus sermone 36. in Cantic. *Qui se* (inquit) Apostolus 1. Corint. 8. *putat aliquid scire, nondum scit quomodo oporteat eum scire.* Vides quoniam non probat multa scientem si sciendi modum nescierit. Vides, inquam, quomodo fructum & vtilitatem scientiæ in modo sciendi constituit? Quid ergo dicit modum sciendi? Quid? nisi vt scias quo ordine, quo studio, quo fine, quæque nosse oporteat? Quo ordine, vt id priùs quod maturius ad salutem. Quo studio? vt id ardenti⁹ quod vehementius ad amorem. Quo fine? vt non ad inanem gloriam, aut curiositatem aut aliquid simile, sed tantum ad ædificationem tuam vel proximi. Sunt namque qui scire volunt eo fine tantùm vt sciant: & turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt, vt sciantur illi: & turpis vanitas est. Qui profectò non euadent subsannantem Satyricum, & el qui est eiusmodi decantantem

Scire tuum nihil est nisi te scire hoc sciat alter.

Et sunt item qui scire volunt vt scientiam suam vendant, verbi gratiâ, pro pecuniâ, pro honoribus: & turpis quœstus est. Sed sunt quoque qui scire volunt vt ædificent: & charitas est. Et item qui scire volunt vt ædificentur: & prudentia est. Horum solùm vltimi duo non inueniuntur in abusione scientiæ, quippe qui ad hoc volunt intelligere, vt benefaciant. Denique intellectus bonus omnibus facientibus eum. Psalm. 110. vers. 10. Reliqui omnes audiant: *Scienti bonum & non facienti, peccatum est illi.* Iacobi 4: vers. 17. Ac si per similitudinem dicat: sumenti cibum & non digerenti perniciosum est ei. Cibus siquidem indigestus & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, & corrumpit corpus, & non nutrit. Ita & multa scientia ingesta stomacho animæ, quæ est memoria, si decocta igne charitatis non fuerit, & sic per quosdam artus animæ, mores scilicet atque actus

transfusa atque digesta, quatenus ipsa de bonis nouerit; vitâ attestante & moribus bona efficiatur? nonne illa scientia reputabitur in peccatum tanquam cibus conuersus in prauos noxiosque humores? An non malus humor peccatum? an non mali humores praui mores? an non inflationes & tortiones in conscientia sustinebit, qui huiusmodi est, sciens videlicet bonum & non faciens? an non responsum mortis & damnationis toties in semetipso habebit, quoties in mentem venerit sermo quem dixit Deus, quia seruus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens digna, plagis vapulabit? multis Lucæ 12. V. 47.

§ 5us

CONCIONATORES EVANGELII NON SVAM SED DEI GLORIAM AVDITORVMQVE SPECTARE DEBENT VTILITATEM.

Concionator etiamsi sæcularibus diuinisque literis instructissimus sit, ea tamen doctrina piè sapienterque ad populi ædificationem vtatur, non ad propriam ostentationem. Rectè sanctus Hieronymus epistola 2. ad Nepotianum cap. 10. *Docente in Ecclesiâ non clamor populi, sed gemitus suscitetur. Lacrymæ auditorum, laudes tuæ sint. Sermo præsbyteri scripturarum lectione conditus. Nolo te declamatorem esse & rabulam garrulumque sine ratione sed mysteriorum peritum, & Sacramentorum Dei tui eruditissimum. Verba voluere, & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est. Attrita frons interpretatur sæpe quod nescit: & cùm aliis persuaserit, sibi quoque vsurpat scientiam. Nihil tam facile quàm vilem plebeculam, & indoctam concionem linguæ volubilitate decipere.* Qui idem sanctus Hieronymus in cap. 3. Isaiæ V. 12. *Popule meus, &c. Ille est Doctor Ecclesiasticus qui lacrymas non risum mouet: qui corripit peccatores: qui nullum beatum, nullum dicit esse fœlicem: nec preuenit sententiam sui iudicis, dicente sanctâ scriptura. Ne beatum dicas quenquam hominem ante mortem.* Ierem. 23. V. 28. & 29. *Propheta qui habet somnium, narret somnium, & qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum verè: quid paleis ad triticum, dicit Dominus? nunquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens Petram?* Verè inquit loquatur sermonem meum. Hortatur & Apostolus suum amantissimum spiritu Timotheum 2. epist. cap. 2. V. 15. *Sollicitè cura teipsum probabilem exhibere Deo* (vt Deus te tuaque facta approbet) *operarium inconfusibilem* (qui non erubescat Euangelium, qui propter prauam vel doctrinam vel vi-

quibus magis morum honestate, quàm dictionis granditate prodesse ceteris. Audiamus & magnum Ecclesiæ doctorem sanctum Hieronym. Epist. 128. *Legamus* (inquit) *Leuiticum Leuit.* 8. *Non prius rationale, & sic super humerale, sed ante superhumerale, & deinceps rationale. A mandatis tuis, inquit, intellexi: prius faciamus, & sic doceamus: ne doctrinæ authoritas cassis operibus destruatur.* Hoc est quod in Propheta legimus Oseæ 10. *Seminate vobis in iustitiâ, & metite fructum vitæ; illuminate vobis lumen scientiæ.* Primùm seminate in iustitia, & fructum æternæ vitæ metite: postea vobis scientiam vindicate. Nec statim absoluta perfectio est; si quis superhumerale & rationale habeat; nisi hæc ipsa inter se forti compagine solidentur, & sibi inuicem connexa sint: vt & operatio rationi, & ratio operibus hæreat; & his præcedentibus doctrina sequatur & veritas. Quod & requirit S. Prosper Aquitanicus lib 1. de vita contemplatiua cap. 15.

Sanctus Gregorius ista habet effata. 1. *Cuius vita despicitur, restat, vt eius quoque prædicatio contemnatur.* 2. *Ille vberes prædicationis fructus colligit, qui semina bonæ operationis præmittit. Nam loquendi authoritas perditur, quando vox opere non adiuuatur.* 3. *Si negligis implere quod doces, alijs messem seminas, & ipse à frumenti participatione ieiunas.* Qui idem B. Gregorius lib. 30. Moralium cap. 5. & 3. parte Part. admonit. 25. ita habet. *Admonendi sunt, qui rectè quidem verba legis intelligunt; sed hæc humiliter non loquuntur: vt in diuinis sermonibus priusquam alijs eos præferant, semetipsos requirant: ne insequentes aliorum facta, se deserant. Et cùm rectè cuncta de sanctâ scripturâ sentiunt: hoc solùm quod per illam contra elatos dicitur, non attendant. Improbus quippe & imperitus est medicus, qui alienum mederi appetit: & ipse vulnus quod patitur nescit.* Qui igitur verba Dei humiliter non loquuntur, profectò admonendi sunt, & cùm medicamenta ægris apponunt, priùs virus suæ pestis inspiciant, ne alios medendo ipsi moriantur. Admoneri enim debent vt considerent ne à virtute dicendi, viuendi qualitate discordent: ne loquendo aliud, & ostendendo aliud prædicent. Audiant itaque quod scriptùm est 1. Pet. 4. V. 11. *Si quis loquitur quasi sermones Dei.* Qui ergo verba, quæ proferunt ex proprijs non habent: cur quasi de proprijs tument? Audiant quod scriptum est 2. Cor. 2. V. 17, *Sicut ex Deo coram Deo in Christo loquimur: qui prædicationis verbum, & quia à Deo accepit, intelligit: & placere per illud Deo, non hominibus quærit.* Audiant quoque quod scriptum est, prouerb. 16. V. 5. *Abominatio Dei est omnis arrogans.* Quia videlicet dum in verbo Dei laudem, ac gloriam propriam quærit: ius dantis inuadit, eumque laudi suæ postponere nequaquam metuit: à quo hoc ipsum quod laudatur,

accepit.

Idē sanct⁹ Doctor & sanct⁹ Pontifex Gregor. lib. 23. Mor. cap. 4. probi concionatoris formam proponit. Sanctæ vniuersalis Ecclesiæ spiritualis quisque prædicator, in cunctis quæ dicit, solerti cura se inspicit ne in eo quod recta prædicat, vitio se elationis extollat, ne vita a lingua discordet, ne pacem quam in Ecclesia annunciat, in seipso dum benedicit, & malè viuit, amittat. Sed studet summopere contra maledicos rumores aduersantium, & defendere loquendo quod viuit, & ornare viuendo quod dicit. Nec in his omnibus suam, sed authoris gloriam quærit: atque omnem sapientię gloriam, quam vt loqueretur, accepit: non suis se æstimat meritis, sed eorum intercessionibus pro quibus loquitur accepisse. Sicque dùm se infra deijcit, superest, qui suæ nimirum magis mercedi proficit, eò quod bona quæ exercere præualet, alienis meritis reddit. Indignum se omnibus iudicat, etiam cùm dignius cunctis viuat. Scit enim quod bona quæ innotescunt hominibus sine periculo esse vix possunt. Et quamuis sapientem se esse sentiat; vellet tamen sapiens non videri, atque hoc sibi omni modo quod loquendo proditur, pertimescit, etsi liceat, tacere appetit, dum esse tutius silentium cernit: eosque se fœliciores putat, quos intra sanctam Ecclesiam locus inferior per silentium occultat: & tamen vt sanctam Ecclesiam defendat, quia ad loquendum vi charitatis impellitur, ex necessitate quidem officium locutionis suscipit: sed ex magno desiderio otium taciturnitatis quærit. Hoc seruat voto: illud exercet ministerio. Hanc autem dicendi formulam arrogantes ignorant. Neque enim loquuntur, quia causæ eueniunt, sed causas euenire appetunt vt loquantur. Quin imò improbus concionator plus obest quam prodest, dum altera manu panem, altera lapidem ostendit, & quod ædificat verbo, destruit opere. Docet id B. Gregorius lib. 21. Moral. partim 7. partim 8. c. exponens mysticè verba sancti Iobi 31. V. 8. *Seram & alius comedat, & progenies mea eradicetur.* More sacri eloquij serere dicimus, verba vitę prędicare. Hinc etenim Propheta ait Isa. 32. V. 20. *Beati qui seminatis super omnes aquas.* Sanctę quippe Ecclesię prędicatores super omnes aquas seminare conspexit, quia cunctis latè populis verba vitæ quasi cœlestis panis grana tradiderunt. Comedere autem est bonis operibus satiari. Vnde per semetipsum Veritas dicit, Ioan. 4. V. 34. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me.* Si ergo ea quę protulit, facere pretermisit, ait, *Seram & alius comedat.* Ac si apertè dicat: Quod os meum loquitur, non ego sed alter operetur. Prędicator quippę

quippe qui à suis vocibus moribus discrepat ieiunus ferit, quod alius manducet, quia suo semine ipse non pascitur, quando à verbi sui rectitudine prauâ actione vacuatur. Et quia plerumq; discipuli incassum verba audiunt, cùm ex magistri vitâ operum exemplo destruuntur, rectè subiungitur: *Et progenies mea eradicetur*. Doctoris enim progenies eradicatur, quando is qui per verbum nascitur, per exemplum necatur: quia quem lingua vigilans gignit, vitæ negligentia occidit. Neque enim torpenti nobis est mente transeundum, quod apud Salom. 3. Reg. 3. V. 19. Mulier filium quem vigilans lactare consueuerat, dormiens interemit, quia nimirum magistri quidem vigilantes scientiâ, sed vitâ dormientes, auditores suos quos per vigilias prædicationis nutriunt, dum quod dicunt facere negligunt, per somnium torporis occidunt, & negligendo opprimunt, quos alere verborum lacte videbantur. Vnde plerumque dum ipsi reprehensibiliter viuunt, & habere discipulos vitæ laudabilis nequeunt, alienos sibi attrahere conantur, quatenus dum bonos se habere sequaces ostendunt, apud iudicia hominum excusent. mala quæ agunt, & quasi per subditorum vitam mortiferam tegant negligentiam. Vnde illic mulier filium, quia extinxit proprium, quæsiuit alienum. Sed tamen veram matrem Salomonis gladius inuenit: quia videlicet cuius fructus viuat, vel cuius intereat extremo examine ira districti iudicis demonstrat. V. Beda de Angelis Cleric, & Monach. lib. 3. hyst. Angl. c. 26. *Si quid* (inquit) *pecunia à diuitibus accipiebant, mox pauperibus dabant*. Nam neque ad susceptionem potentiam sæculi, vel pecunias colligi, vel domos prouidere necesse fuit. Qui nunquam ad Ecclesiam nisi orationis tantùm & audiendi verbum Dei causâ veniebant Rex ipse cùm opportunitas exegisset, cum quinque tantùm vel sex ministris veniebat, & expletâ in Ecclesiâ oratione discedebat. Quod si fortè eos ibi refici contingeret, simplici tantùm & quotidiano fratrum cibo contenti nil vltra quærebant. Tota enim fuit sollicitudo Doctoribus illis Deo seruiendum non sæculo: erat tota cura cordis excolendi non ventris. Vnde & in magnâ veneratione tempore illo religionis habitus, ita vt vbicunque Clericus aliquis aut Monachus aduenirет gaudenter ab omnibus tanquâ Dei famulus exciperetur. Etiamsi in itinere pergens inueniretur, occurrebant, & flexâ ceruice vel manu signari, vel ore illius se benedici gaudebant. Verbis quoque horum exhortatorijs diligenter auditum præbebant. Sed & diebus Dominicis ad Ecclesiam siue ad monasteria certatim non reficiendi corporis, sed audiendi sermonis Dei gratiâ confluebant. Et si quis Sacerdotum in

vicum fortè deueniret, mox congregati in vnum vicum verbum vitæ ab illo expetere cunctabant. Nam neque alia ipsis Sacerdotibus aut Clericis vicos adeundi, quàm prædicandi, baptizandi, infirmos visitandi, & vt breuiter dicam, animos curandi causa fuit, qui in tantùm erant ab omni auaritiæ peste castigati, vt ne territoria ac possessiones ad construenda monasteria nisi à potestatibus sæculi coacti acciperent. Quæ consuetudo per omnia aliquando post hæc tempora in Ecclesijs Nordamhimborum seruata est.

§. 7.us

CONCIONATOR EVANGELII AD AVDITORVM CAPTVM SE ACCOMMODARE DEBET.

SAnctus Augustinus libro de verâ religione cap. 28. tradit quâ ratione ad suorum captum Ecclesiastici se accommodent Doctores. Quod etiam (ait) temporibus noui populi à magnis & spiritualibus viris Ecclesiæ Catholicæ alumnis video cautissimè prouideri: ne quid populariter agant, quod nondum esse temporis, vt cum populo agatur intelligunt: alimenta lacte à largè auidis infirmioribus pluribus atque instanter infundunt, validioribus autem cibis cum sapientibus paucis vescuntur. Sapientiã enim loquuntur inter perfectos, carnalibus vero & animalibus, quamuis nouis hominibus, adhuc tamen paruulis nonnulla obtegunt, sed nulla mentiuntur. Non enim honoribus suis vanis consulunt, & inanibus laudibus, sed vtilitati eorum, cum quibus societatem vitæ huius inire meruerunt. Hæc est enim lex diuinæ prouidentiæ, vt nemo à superioribus adiuuetur ad cognoscendam & percipiendã gratiam Dei, qui non ad eandẽ puro affectu inferiores adiuuerit.

§. 8.us

SVPERBIA CONCIONATORI EVANGELII VITANDA.

QVantumuis verò Concionator literis, eloquentiâ, moribus instructissimus sit, caueat tamen vt pestem & venenum, fastum & superbiam, qua de re superiùs etiam tractatum est. Quantopere verò arrogantia timenda, & velis remissisque fugienda sit Ecclesiastico Doctori ostendit S. Augustinus Doctorum Princeps, & tamen de se demissè confitens Epistola 132. ad Florentinam, quod esset Doctor non

non perfectus, sed cum docendis perficiendus, sic autem id loci ait. *Et sollicitissimè cauendum est in docendo superbiæ vitium, quod in discendo non ita est. Vnde & sancta scriptura nos admonet, dicens Iacobi* 1. V. 19. *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Et ille in Psalmo 50. V. 10. ait, *Auditui meo dabis exultationem & lætitiam,: continuóque subiecit: & exultabunt ossa humiliata. Vidit enim in audiendo facillimè seruari humilitatem, quæ difficilis est in docendo, quoniam necesse est, vt Doctor habeat superiorem locum, vbi laboriosum est obtinere ne subrepat elatio. Videsne quemadmodum periclitemur, à quibus hoc expectatur, vt non solùm Doctores simus; verùm etiam cùm simus homines diuina doceamus. Sed laborum periculorumque nostrorum singulare est solatium, cum ita proficitis, vt illò perueniatis, vbi nullius hominis doctoris egeatis. Isto autem periculo non tantum nos: nam ad illum de quo dicturus sum, quid sumus nos? Non ergo nos tantum periculo isto, sed etiam ille Doctor gentium, periclitatum se esse testatur, cum dicit 2. Corinth.* 12. *V.* 6. *Ne in magnitudine reuelationum mearum extollar, datus est mihi stimulus carnis, &c. Vnde & ipse Dominus timoris huius admirabilis medicus;* Nolite, *inquit Math.* 23. *V.* 10. *ab hominibus vocari Rabbi, vnus enim est magister vester Christus.* Quod retinens idem ipse Doctor gentium dicit 1. Corinth. V 7. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed cui incrementum dat Deus.* Hoc & ille meminit, qui in natis mulierum quantò magnus erat, Math. 11. V. 11. tantò se in omnibus humiliabat, indignum se affirmans, qui Christi calceamenta portaret. Math. 3. V. 11. Quid enim aliud ostendit vbi ait Ioannis 3. V. 29. *Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi stat, & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem sponsi.* De quo fastu & S. Prosper in sancti Augustini sententijs cap. 455. *Ad vitandam tentationem vanæ gloriæ, melior est discentis conditio, quàm docentis. Tutius enim auditur veritas, quàm prædicatur. Quoniam cum doctrina recipitur humilitas custoditur. Cum autem disputatio placet, vix est vt differentem non pulset quantulacunque iactantia.* Christiani itaque Doctoris officium, quod sit ex ijs quę hactenus diximus perspicitur. Compendio verò illud exponit S. August. lib. 4. de doctrinâ Christiana c. 4. Debet igitur [ait) *diuinarum scripturarum tractator & doctor, defensor rectæ fidei, ac debellator erroris, & bona docere, & mala dedocere, atque in hoc opere sermonis conciliare aduersos, remissos erigere, nescientibus quid agatur, quid expectare debeant intimare. Vbi autem beneuolos, intentos, dociles aut inuenerit, aut ipse fecerit, cætera peragenda sunt sicut causa postulat.*

non docet, indocti redeunt. Magisteria forinsecus, adiutoria quædam sunt & admonitiones. Cathedram in cœlo habet qui corda docet: De Domino dico. Propterea ait & ipse in Euangelio, Nolite vobis dicere magistrũ in terrá: vnus est magister vester Christus, Math. 23. V. 10. Ipse vobis ergo intus loquatur, quando nemo hominum intus est: quia etsi aliquis est à latere tuo, nullus est in corde tuo. Et non sit nullus in corde tuo. Christus sit in corde. Vnctio ipsius sit in corde, ne sit in solitudine cor sitiens, & non habens fontes quibus irrigetur. Interior ergo magister est qui docet, Christus docet, inspiratio ipsius docet. Vbi illius inspiratio, & illius vnctio non est. forinsecus inaniter perstrepunt Verba. Sic sunt ista verba fratres, quæ forinsecus dicimus, quomodo est agricola ad arborem: forinsecus operatur, adhibet aquam & diligentiam culturæ. Qualibet forinsecus adhibeat, nunquid poma format? Nunquid nuditatem lignorum vestit vmbra foliorum? nunquid tale aliquid intrinsecus agit? Sed quis agit hoc? Audite agricolam Apostolum, videte quid sumus: & audite magistrum interiorem. Ego plantaui vineam, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus 1. Corint. 3. V. 63. Hoc ergo vobis dicimus. Siue plantemus, siue rigemus loquendo, non sumus aliquid: sed ille qui incrementum dat Deus, id est vnctio illius, qui docet vos de omnibus. 1 Ioan. 2. V. 27. Sanè ipse Apostolus Ephes. 6. V. 19. assiduas à Christianis preces rogat, vt inspiret illi Deus fiduciam, & in prædicando Euangelio dicendi libertatem. *Orantes* (ait) *& pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiduciâ, notum facere Euangelij mysterium: pro quo legatione fungor in catenâ, ita vt in ipso audeam, prout oportet me loqui.* Ita & precabatur Dauid psalmo 50. *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Probat hoc S. Gregorius exemplo, homil. 30. in Euangel. *Per vocem* (ait) *non instruitur, quando mens per spiritum non vngitur,* Sed cur ista de doctrina hominum loquimur, quando & ipse conditor non ad eruditionem hominis loquitur, si eidem homini per vnctionem spiritus non loquatur? Certè Cain priusquam fratricidium opere perpetraret, audiuit, Genes. 4. V. 7. secundum 70. peccasti, quiesce. Sed quia culpis suis exigentibus, voce est admonitus non vnctione spiritus, audire verba Dei potuit, sed seruare contempsit. Sanctus Gregorius homil. 17. in Euangelia docet docendi facultatem aliquando concionatoris vitio, aliquando auditorum delicto diuinitus negari. *Pensate* (inquit) *fratres charissimi, quod dicitur: Rogate Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. Vos pro nobis petite, vt digna vobis operari valeamus, ne ab exhortatione lingua torpeat: ne postquam prædicationis locum suscipimus, apud Iustum iudicem nostra nos taciturnitas addicat. Sæpe*

regiâ ac B. Trinitate credendum sit explicare.. Qua quidem in re ijs quibus erudiendi fideique luce collustrandi gregis cura tradita est, summopere verendum est, ne vel in vnam personam, ne plures Dei induci videantur, contracta fidei doctrina nuda atque inania nobis nomina relinquat, eumdem videlicet esse patrem & filium & Spiritum sanctum existimantibus: vel in tres alienas & exteras aut perturbatas atque confusas, diuinitatique, vt ita loquar, contrarias diuisa, in idem contrarias diuisa, in idem malum contrario errore prolabatur: haud aliter ac peruersa aliqua planta, cùm in alteram partem vehementiùs detorquatur. Quandoquidem & Deus vnus necessariò retinendus est, & tres personæ confitendæ, atque vnaquæque cum sua proprietate. Sed ad hæc intelligenda & pro rei dignitate declaranda, atque exprimenda longiori oratione opus fuerit, quam præsens institutum atque adeo hæc via ferat. Quin ad id potiùs & nunc semper adhibendus sit spiritus per quem solùm Deus & intelligitur, & exponitur, & auditur. Purè enim tantummodo attingendus ille est, qui purus est, vniusque atque eiusdem modi. Hæc autem idcirco in præsentia paucis commemorauimus, vt illud ostendamus ei, qui de tantis rebus disputationem habeat, præsertim apud multitudinem, quæ ex varijs ætatibus habitudinibusque conflata est multifidique instrumenti cuiusdam musici in modum varijs pulsibus opus habet, difficile esse huiusmodi orationem inuenire, quæ omnes concinnare atque conciliare, scientiæque lumine collustrare possit. Cuius rei ea causa est, quod cùm in his tribus rebus periculum versetur mente, sermone, atque auditu, vix aliter fieri potest, quin si minus ad omnia, ad vnum certè horum impingamus. Aut enim mens superno splendore minimè perfusa est, aut sermone languet, aut denique auris, quia nequaquam purgata est, doctrinam excipere nequis: quorum si vnum acciderit, non minus quàm si omnia concurrant, veritas claudicet necesse est. Accedit etiam illa causa quod auditorum pietas & religio, quæ perfacilem ijs, qui aliud quoduis doctrinæ genus profitentur, gratamque & acceptam orationem reddit, in detrimentum hic periculumque cadit. Etenim velut de Deo re omnium maxima, saluteque adeo ipsa, primariaque omnium spe, certamen habentes, quò ardentiori fide præditi sunt, eò acriùs orationi aduersantur, atque obsequium & credulitatem non pietatem, sed veritatis proditionem esse interpretantes, omnia ante proiecerint, quàm opiniones eas quas domo secum afferunt, & dogmatum quibus intriti sunt, consuetudinem. Ac de moderationibus nec omnino per-

ditè affectis hominibus adhuc loquor, qui etiamsi à veritate aberrent, tamen quia veritatis studio pietatisque zelo, tametsi non secundùm scientiam, Rom. 10. V. 2. id ipsis accidit, ex eorum fortasse numero futuri sunt, qui non grauissimis pœnis damnabuntur, nec veteribus multis afficientur, quemadmodum ij, qui animi malitia & peruersitate voluntatem Domini explere neglexerint Luc. 12. V. 47. 48. Atque hic quoque fortasse à sententia aliquando dimoueri, atque ab eadem illa pietate, ob quam priùs repugnabant, ad meliorem mentem reuocari queant, si quis eorum sermo attigerit, atque aut internè aut externè, vt ferrum silicem, sic prægnantem luceque dignam mentem atque ita effectam, vt ex parua scintilla luculenta statim in ea veritatis flāma effulgeat, commodè tempestiuèque pulsauerit: Quid porro de illis dixeris, qui inanis gloriæ studio, dominandique libidine iniquitatem in excelsum loquuntur, psal. 72. V. 8. De Ioanne inquam & Mambre. 2. Ti. 3. V. 8. Non illis quidem aduersus Mosen, sed aduersus veritatem arma induentibus, atque aduersus sanam doctrinam insurgentibus? Quid etiam de tertia classe, nimirum de ijs, qui per imperitiem eiusque comitem temeritatem aduersus omnem doctrinam suillo quodam affectu gradiuntur, pulchrasque veritatis margaritas conculcant? Mat. 7. V. 6. Quid postremò de ijs qui nec certam opinionem vllam, nec diuinæ doctrinæ vel probam vllam vel vitiosam formam impressionemque secum ferentes: verùm sermonibus omnibus magistrisque sese subijcientes, tanquam ex omnibus id quod melius certiusque est, electuri ac sibi ipsis, hoc est malis veritatis iudicibus confidentes, à disertis postea verbis & ad persuadendum comparatis, subinde circumferuntur atque versantur, omnibusque sermonibus obruti protritique multisque doctoribus permutatis, ac multis literis velut puluere, in ventos facilè abiectis auribus tandem & animo fatiscentes (ò insignem vecordiam) omnes peræquè fidei doctrinas fastidiunt, perniciosamque formam sibi ipsis insculpunt, ipsam videlicet fidem nostram vt incertam nihilque sani habentem irridentes & aspernantes, stultèque à doctrinæ professoribus ad doctrinæ condemnationem transeuntes. Quod perinde est, ac si quis vel oculorum morbo, vel aurium vitio laborans, solem aut voces accusare instituat, illum vt obscurum minimeque fulgentem, has vt absonas & imbecilles. Ac proinde minoris est negotij rudi adhuc animæ veritatem primùm, instar ceræ nondum signatæ, imprimere, quàm conscriptis iam literis, hoc est pestiferis opinionibus placitisque doctrinam piam inducere, nihilque aliud assequi,

quàm vt

quàm vt posteriora cum prioribus confundantur & perturbentur. Neque enim vt planam & tritam viam calcare præstat, quàm asperam nullisque pedum vestigijs impressam, aruumque colere aratro sæpe proscissum & emollitum: ita commodius quoque fuerit animum pingere, cui vitiosa iam aliqua doctrina impressa sit, improbæque literæ altissimè consignatæ. Alioqui pio scriptori duplex hic labor suscipiendus erit, vt & priores substituat. Ac tot tamque graues sunt cum reliquis animorum morbis tum in doctrinâ etiamipsa peruersæ peruersique spiritus notæ & impressiones, tantumque ei negotium incumbit, cui hæc moderandarum regendarumque animarum cura commissa est: pleraque etiam ne modum oratio excedat prætermisimus. Quemadmodum igitur si quis belluam variam & multiplicem ex multis belluis magnis iuxta paruisque feris mitibusque conflatam cicurare ac ducere aggrediatur, huic in naturâ adeo varia & prodigiosa gubernanda, maximus procul dubio labor subeundus sit, maximumque certamen, quippe cùm nec vocibus ijsdem, nec alimentis, nec manus attrectationibus ac sibilis, nec reliquis denique institutionis modis belluæ omnes delectentur, sed aliæ alijs, pro sua quæque naturâ & consuetudine, vel gaudeant, vel offendantur: vt qui eiusmodi belluæ cursam susceperit, eum variâ omnino & multiplici scientia ornatum instructumque esse oporteat, & congruentem cuique rationem adhibere, siquidem belluam cum laude ducere atque incolumem tueri cupit. Haud dissimili modo communi hoc Ecclesiæ corpore instar compositæ eiusdem & inæqualis belluæ, ex pluribus varijsque moribus & sermonibus coagmentato, summopere quoque necesse est antistem simul & simplicem esse, quantùm ad eam, quam ad res omnes adhibere debet, animi integritatem, & quam maximè varium ac multiplicem, quantùm ad id attinet vt vniuscuiusque beneuolentiam sibi conciliet, omnesque apta & apposita oratione alloquatur. Quidam enim lactis alimonia opus habent, hoc est simplici & rudimentaria doctrina, nimirum qui animi habitudine, teneri sunt, recensque vt sic dicam, compacti, nec virilem sermonis cibum ferunt, quem si quis ipsis præter vires admouerit, eius pondere fortasse oppressi atque obruti (animo ad id transmissum est attrahendum, sibique commodandum, nequaquam satis virium habente, quemadmodum nec corpus in cibis materia constantibus] pristinas etiam eorum vires labefactabit. Alij sensuum organa ad veri falsique delectum atque discrimen exercitata habentes, Heb. 5. V. 14, Ac proinde sapientia ea quæ inter perfectos exponitur,

sublimiorique & firmiori cibo indigentes, 1. Corinth. 2. vers. 5. *Si quis lac illis propinet.* 1. Corinth. 3. versic. 2. oleribusque hoc est infirmorum eos alat. Rom. 14. V. 2. indignè acerbéque id laturi sint, nec immeritò, vt potè nihil Christiani roboris colligentes, nec laudabili illo incremento augescentes, Ephes. 4. V. 15. quod sermo diuinus affert, cùm qui præclarè alitur in virum absoluens atque ad spiritualis ætatis mensuram ducens. Et ad hæc quis idoneus? non enim plerisque similes sumus, qui veritatis doctrinam cauponum ritu adulterant, vinumque aquæ admiscent, Isa. 1. V. 22. h. e. doctrinam cor hominis exhilarantem cum vili & vulgari humique reptante & euauida, frustraque & temerè fluente (vt ipsi ex hac cauponatione nonnihil emolumenti capiant] aliasque alio modo cum ijs à quibus adeuntur, verba faciunt, omnibusque assentantur. Ventriloqui sanè homines, & vaniloqui, voluptatibus suis subsequentes, easque verbis aucupantes, è terrâ dele pronunciatis, atque in terram accumbentibus, vt sic maximè populi existimatione floreant, aucupantes grauissimum sibi ipsis detrimentum imò exitium afferentes, innoxiumque simpliciorum animarum cruorem effundentes, de manibus nostris aliquando requirendum. Quin potiùs illud exploratum habentes, melius esse alijs, qui artis peritie præstent, habenas nostri concedere, quàm indoctos & imperitos aliorum aurigas esse, præstareque candidam aurem submittere, quàm stolidam linguam mouere: hoc, inquàm, nobiscum nec pessimis fortasse consultoribus, beneuolis quidem arte colloquuti, laudabilius duximus ea, quæ discenda & facienda sint, addiscere, quàm quæ nescimus docere. Præclarè enim cum eo agitur cui vel altissima senectus doctrinam cauam attulerit, eamque vim habentem, vt nouæ in pietate animæ vtilitati atque adiumento esse queat. Ac meo quidem iudicio admodum stultè temeréque illi faciunt, qui priusquam ipsi satis doctrina instructi sint, aliorum se magistros profitentur, figlinamque, vt vulgò dici solet, in dolio discunt, hoc est, alienarum animarum periculo pietatem meditantur. Stultè si ne ignorantiam quidem suam præsentium: temerè si cùm eam intelligant, hoc tamen negotium suscipere audent.

AVTHORIS AD DEVM PRO ANIMARVM ZELO PRECATIO.

AMem te Domine, amem te ex toto corde meo, & amore tui diligam & proximum meum, sicut meipsum. Illi vt mihi omnia

bona velim, sed præcipuè illi pro viribus procurem præsentem & æternam salutem. Infirmer cum infirmis, vrar cum scandalizatis, omnibus omnia commiserationis affectu fiam, vt omnes lucrifaciam, & ne meus conatus inanis, ne labor irritus sit, affluenter domine largire gratiam; quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed tibi vni debetur fructus & gloria, qui das incrementum & prouentum Deus in sæcula benedictus.

LIBRI SECVNDI PARS SECVNDA

CAPVT PRIMVM.

§ I.us

DE MODO AGENDI CVM HÆRETICIS NOSTRI TEMPORIS.

SVmmopere cauendum est in omni disputatione contra hæreticos quantùm fieri potest, ne de erroribus particularibus cum illis contendamus: sic enim fiet ne conuicti de vno statim ad alium percurrant. Sed de hoc contendendum est cum illis, vt probemus eis aliquem esse in orbe qui non possit nos decipere in proponendo ea quæ sunt fidei, & explicando sacras paginas. Ad hoc autem probandũ sunt efficacissima argumenta quibus satisfacere nullus possit, & cùm fuerint conuicti de hoc, tenentur credere ei quem dicunt habere infallibilitatem proponendi quæ sunt fidei, & hoc facilè conuincetur. In principio autem huius disputationis cum hæreticis, supponendum est, fidem Christi non posse deficere. Lucæ 22. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Ex sancto Paulo supponatur fidem esse ex auditu. Rom. 10. Tertiò supponatur hominem debere esse paratum pro de-

fensione fidei mori iuxta illud Mathæi nono. *Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, &c.* His positis sic contra hæreticos disputandum est. Vel tu credis aliquid vel nihil: si nihil, ergo non es fidelis, si aliquid ergo vel ea quæ credis, aliquis tibi dixit, vel nullus. Si nullus, est contra Paulum dicentem fidem esse ex auditu. Si aliquis vel is potuit te decipere vel non. Si primum vnde scis, quod iste non deceperit: ergo tua fides est incerta & errat, quia paratus es mori pro defensione eorum quæ credis, cùm possis decipi. Si secundum habemus intentum. quod si concedat intentum, quæso quis est iste? potest respondere hæreticus quinque modis. Primò quod Ecclesia. 2 quod Lutherus vel Caluinus 3. Scriptura. Quartò reuelatio. Quintò quod Spiritus testatur ea vera quæ alij docent, & quod explicatio scripturæ quam tradunt vera sit. Si dicat primum quod est Ecclesia Romana, credat ergo ei; si dicat esse Ecclesiam inuisibilem; ergo non potest audire illam: ergo nec credere; quia fides ex auditu. Si dicat Ecclesiam esse visibilem, scilicet bonos viros qui docent Lutheri sectam: non potest scire an aliquis sit verè bonus, nec quod habeat gratiam: ergo incertus est quod isti sint boni, & sic fides quam ab ijs habet, incerta est, cùm possit decipi in fundamento, videlicet in hoc quod illi homines sint boni, cui innititur fides eius.

Si secundum quod Lutherus, qui non potest nos decipere: ergo ante illum non fuit fides nec Ecclesia. Item vnde certus est illum non potuisse decipere & decipi; si tantùm opinatur, est opinio. Si certus est, vnde? ex quo certo principio? Si respondet semper aliquos fuisse, quos dicimus hæreticos, qui non potuerunt nos decipere; confutatur, Quæro enim vnde hoc illi constet? & qui fuerint illi? hoc certò nescit. Sed vel ex hystoriâ, & tunc non esset fides, vel quia illi alij dixerunt tales fuisse antea. & tunc isti cùm illi dixerunt, potuerunt illum decipere: & si non potuerunt illum decipere, qui sunt isti qui non potuerunt illum decipere proponendo credenda, aut proponendo fidei authores quos sequi debemus, nisi Ecclesia in Concilijs & Romanus Pontifex: quis, inquam, alius qui non posset errare, aut decipere ex Dei promissione. Item isti contraria inter se senserunt: immò nunc quot sunt Lutherani, tot sunt contrariæ sententiæ: quare nulli eorum est credendum. Si dicat non omnes hæreticos præteritos, sed tenentes omnia quæ Lutherus tenuit, non potuisse decipi, & decipere alios. ergo ille nunc errat & omnes Lutherani non tenentes omnia quæ Lutherus tenuit. Item vnde illi certò constat eos qui cum Luthero sen-

sunt & non alios non potuisse. Item vnde constat fuisse semper & in omnibus ætatibus aliquos qui idem quod Lutherus senserint? hoc est diuinare,, & non certò constat: quare fidem non habet.

Si dicat tertium, scilicet scripturam esse infallibilem regulam à quâ didicit ea quæ credidit. Licet sacra scriptura sit regula infallibilis, tamen contrario modo intelligitur ab hæreticis & à Catholicis: ergo necessarius est in Ecclesiâ aliquis iudex, qui non possit decipi explicando scripturam sacram, cuius determinationi in his quæ sunt fidei, & in explicatione scripturæ, omnes Christiani teneantur obedire & credere. Prę̃terea Ecclesia illuminata à spiritu sancto sua auctoritate habet aliqua ex traditione Apostolorum, imò eiusmodi quorum oppositum præcipiebatur antiquitus in scripturà. Nam quando explicat Ecclesia quod illa præcepta diuina ex Dei voluntate iam non obligant: vt obseruationis Sabbathi præceptum cessauit: & obseruatio diei Dominicæ non habetur in scripturis. Imò non habetur in scriptura Dominica dies. *Cùm conuenissemus vnâ sabbathorum ad frangendum panem.* D. Ioan. fuit in Dominicâ in spiritu: Item D. Paulus ait opertum esse Euangelium ijs qui pereunt & de Iudæis, quod cùm legitur Moyses, velamen est positum super oculos eorum. Item in concilio Apostolorum act. 15. præcipiebatur abstinere à suffocato & sanguine, quod non obseruatur. Præterea scriptura aliquando indiget explicatione, vt Paulus ait 2. Cor. 3. litera occidit, & 2. Petri 3. dicitur in epistolis Pauli aliqua esse difficilia quæ multi deprauant, & alibi Prophetia propriâ interpretatione non fit.

Si dicat quartum scilicet Reuelationem infallibilem esse regulam. Contra. Illa nunquam fit omnibus hominibus, sed vni vel paucis: Vnde igitur cognoscunt cæteri, quod isti qui dicunt factam esse reuelationem, non decipiantur à dæmone, vt falsi prophetæ 400. decipiẽtes Achab 3. Regum 22. Ergo necessarius est aliquis in Ecclesiâ qui non possit decipi.

Si dicat quintum, quod scilicet Spiritus sanctus testatur ijs esse vera quæ alij docent, & etiam quod sit verè explicata scriptura ab illis. Contra arguitur, vnde scit quod non sit Spiritus malus qui hoc testatur præsertim cùm dicatur 2. Cor. 1. Satanam transfigurare se in Angelum lucis: & 1. Ioan. 4. *Nolite omni Spiritui credere.* Et 1. ad Thimoth. 4. *In nouissimis temporibus discedent quidam à fide attendentes Spiritibus erroris.* Idem dicitur 2. ad Timoth. 3. & 2. Petri 3. & in Epistola Iudæ c. 1. Prę̃terea contra illum sic argui potest, Si tu Lutherane dicis sanctum Spi-

ritum tibi attestari quæ credis, & ego sanctum Spiritum mihi attestari, ergo necessariò dandus est aliquis iudex, cuius sententiæ standum est. Alias daretur occasio vt vnusquisque eligat & sequatur propriam sententiam in fide: & sic tot essent fides quot capita, quod proh dolor! inter hæreticos verum esse quotidie cernimus.

Secundum argumentum principale quod detur iudex infallibilis in Ecclesiâ sic probatur. quare credis huic, Deus est homo: si dicas ex illo Ioannis: *Verbum caro factum est*· Quæro vnde scis hoc esse verum Euangelium Ioannis: non à te quia fides ex auditu: ergo aliquis tibi dixit: ergo vel potuit ille errare & te decipere vel non, si primum: vnde scis quod non te deceperit, vt in primo argumento. Si dicas illud te scire ex traditione Apostolorum: vnde scis quod ita tradiderint? Non habent quod respondeant nisi quia sic docet Ecclesia. Iam sic arguitur. Tu credis quatuor Euangelia esse vera, quia sic docet Ecclesia: ergo ita certum est & de fide credendum, quod docet Ecclesia circa fidem, sicut certum est quatuor Euangelia esse vera cùm ex illa veritate sequatur: Ista ergo Ecclesia proponendo ea quæ sunt fidei non potest errare, aut errare posset proponendo hęc Euangelia tanquam vera.

Tertium argumentum. Tu dicis me esse hæreticum, & ego dico te esse hæreticum, vel ille qui ex nobis hæreticus est, potest conuinci de hæresi, vel non: si non, laborat ergo ignorantia inuincibili, & sic non peccabit quamuis sit hæreticus, neque via relinquitur qua posset cognosci hæreticus. si potest conuinci, ergo datur aliquis iudex à quo est conuincendus, & cuius sententiæ est standum, qui non est alius, quàm Ecclesia.

§ 2.us

DE INSTITVENDIS SEMINARIIS AD HÆRETICORVM CONVERSIONEM ET EORVNDEM PRÆPOSITIS.

NVllum efficacius medium ad hæreses de medio tollendas excogitari potest, quàm Seminariorum institutio ad idoneos Euangelij ministros efformandos, qui voto deinde obligarentur statuto à superioribus tempore, in vineam Domini excurrere. Et certè hanc rationem inijsse diuinam sapientiam videmus cùm carnem nostra causa assumeret ac humanum genus Patri reconciliare vellet. Duo enim Se-

minaria instituit; quorum vnum non plus duodecim: alterum septuaginta alumnis constabat. Alumnorum autem vtriusque tantam curam suscepit, vt ad mortem vsque semper illos excoluerit, ac post mortem Spiritum miserit. Optimè enim sciebat Dominus qua virtute præditi esse debent qui munus prædicandi Euangelium suscipiunt, vnde & ad Apostolos (Act. 2.) dicitur, vt sedeant in ciuitate quoadvsque induantur virtute ex alto, ne videlicet quis diuinæ ac cœlestis prædicationis onus assumere audeat, donec vires roburque conceperit ad illud Spiritus sancti ope atque dono sustinendum. Dei filium in erigendis Seminarijs imitati sunt alij, præsertim eius in terra Vicarij, inter quos duo eminent Gregorius 13. & Clemens 8. Et ille quidem adeo sui officij memor erat, ac religionis Catholicæ promouendæ desiderio ardens, vt maximo ære tria supra viginti collegia & Seminaria in hunc finem in diuersis orbis partibus erexerit ac reditibus annuis locupletauerit. Nota sunt Seminaria & Collegia Romæ ab eo erecta, Collegium Romanum Societatis Iesu, Collegium Germanicum, Collegia Græcorum, Anglorum, Maronitarum, ac Neophytorum. Nota sunt etiam Collegia alibi ab eo erecta. Hic verò (nempe Clemens 8.) vt alia omittam, Brunsbergæ & Vilnæ reditus in hunc finem ad Scotos nostros alendos assignauit: ac Romæ Collegij Scotorum, quod in hodiernum diem extat, fundamenta iecit.

Quod ad Præpositos horum Seminariorum attinet, quinam nempe illis præfici ac præponi debeant: Certum mihi videtur inter omnium Religiosorum ordines nullos aptiores Iesuitis inueniri posse, vnde non immeritò ijsdem summi Ecclesiæ Antistites perspecta eorum virtute ac pietate Seminaria & Collegia à se fundata commiserunt: Non immeritò hos alij Reges & Principes imitati Seminaria itidem à se erecta eorundem curæ subiecerunt. Et verò hoc adeo clarum est vt neminem de eo dubitare posse existimem, præsertim cùm sub ipsis florere quotidie videamus Seminaria, quæ antequam ab illis regerentur miserè iacebãt. Vnde facilè discimus quantùm Iesuitarũ vitę ratio Ecclesię necessitatib⁹ sit accommodata, quantúmq; eam labantem iuuet, Christianæq; Reipublicę vsui sit. Prę cęteris enim omnib⁹ in teneris annis pietate informandis, diuino timore ac charitate, omnisq; Christianę disciplinę præceptis, literarumq; cognitione imbuendis acuratissimè & prouidentissimè inuigilant. Quapropter nunquam cessaui donec Collegium nostrorum Scotorum quod hic Romæ est, ipsorum curæ à Paulo quinto committeretur: nec laboris me pœnitet, magna enim mea & aliorum

voluptate ac Scotię nostræ bono res ab illo tempore in vineam Domini operarios misit, quã ab initio fundationis vsq; ad illud tempus misisset.

CAPVT SECVNDVM.

§. I.^us.

DE CONGREGATIONE ERECTA PRO FIDE PROPAGANDA.

AD fidem Catholicam promouendam nullum quantùm huc vsq; assequi potui, efficacius medium post Seminariorum institutionem quàm congregationes aliquas erigere quarum finis alius non esset quàm seriò inuigilare & attendere ad animarũ conuersionem, agendo de medijs quibus iuuari possent infideles & hæretici, & de mittendis ad eorum conuersionem operarijs. Hinc est quod fœl. memorię Gregori⁹ XV. Pont. Max. statim ac hoc mediũ illi aliqui suggessissent, constitutionẽ fecerit erectionis eiusmodi cõgregationis, quã (vt omnes videant Romani Pontificis in fide propaganda studiũ) hic Lectori subijcio.

---

§. 8.us.

DE PRÆCIPVIS RECENTIORIBVS QVI SCRIPSERVNT CONTRA SECTARIOS.

QVoniam meritò petere aliquis à me posset quinam libri aptiores sint ad hęreticorum insaniam conuellendam statui subijcere pręcipuos authores recentiores qui contra Sectarios scripserunt, vt ex ijs qui subsidium petere volunt, possint.

Ambrosius Catharinus natione Italus, scripsit de cultu & adoratione imaginum, speculum hęreticorum, de superseminatis zizanijs, de iusta punitione hęreticorum, de fide & operibus in lib. de vera iustificatione de certitudine inhærentis gratiæ Dei, de veritate incruenti sacrificij noui & æterni Testamenti &c.

Albertus Piphius scripsit de Missa contra Lutheranos, Apologiam indicti à Paulo 3. Concilij contra Lutheranos, explicationem pręcipuarum controuersiarum in Comitijs Ratisbonensibus tractatarum &c.

Armandus

Armendus Ioannes du Plessis Cardinalis de Richelieu, natione Gallus, scripsit librum contra ministros Carentonianos, in quo præcipuas tractat christianæ fidei controuersias.

Antonius Monciacenus Demochares Rossanæus, Missa sacrificium prodesse mortuis.

Adrianus Iungius Polonus Societatis Iesu, de imposturis noui Euangelij, de sectariorum dissidijs: & pro sacris imaginibus.

Arnoldus Mermannius Belga scripsit sancta cruce, & eius adoratione, de fegienda consuetudine hæreticorum, de 4. plaustris hæreticorum.

Archibaldus Hammiltonius natione Scotus, scripsit demonstrationem confusionis Caluinianæ sectæ apud scotos, & cum minestelli scotiæ respondisset scripsit fusiorem demonstrationem in qua multas controuersias præclare tractat & prædicantibus respondit.

Adamus Tannerus Germanus. Societatis Iesu de colloquio Ratisbonensi, de verbo Dei scripto & non scripto : de meritis operum. &c.

Albertus Laskus aduersus nouos in Polonia ministros,

Andreas eudemõIoannesCydoniusSocietatisIesu scripsit contra Lambertum Danæũ, contra Anglicanos miuistros, & IsaacũCasaubonũ &c.

Alphonsus de Herrera, contra Luteranos, de bonis operibus.

Arnoldus Albertinus, de agnoscẽdis assertionibus catolicis & hereticis.

Antonius Floribellus scripsit de authoritate Ecclesiæ.

Bartholomeus Camerarius scripsit disputationem cum Caluino de gratia & libro arbitrio dialogos quatuor de ieiunio, oratione & Eleemosyna de prædestinatione dialogos. 3.

Baltazar Chauassius Societatis Iesu scripsit iustum volumen de notis veræ Religionis.

Barthalomeus Latomus, scripsit de inuentione sanctorum, de Eucharistia sacrificio. &c.

Carolus Scribanius Societatis Iesu Belga scripsit de fidei controuersijs libros sex I. de scriptura, iudice, & iraditionibus. II. de Apostolicæ fidei germanis denunciatoribus III. de reliquijs sanctorum. IV. de miraculis. V. de sanctorum inuocatione. VI. de cultu imaginum.

Claudius deSainctes natione Gallus scripsit metodum contra sectans de Euchariftia maguum volumen. &c.

Coloniensium antididagma seu christianæ & Catholicæ religionis propugnaculum.

Claudius Espensæus scripsit Apologiam aduersus extra ordinarios ministros sectarum Galliæ, tractatum de publica & priuata missa. &c.

Hieronymus Osorius scripsit de religione. lib. 3.

Hieronymus Hangest de christifera eucharistia aduersus nugiferos symbolistas.

Henricus Helmesius scripsit de iustificatione.

Henricus Lancelottus ord. diui Augustini, scripsit hæreticum quare per catholicum quia.

Hieronimus Torres Societatis Iesu scripsit confessionem Augustinianam oppositam meneacijs confessionis Augustinæ.

Ioannes Duræus Societatis Iesu theologus, natione scotus scripsit eloquentissimè simul ac doctissimè contra Vvhitakerum vbi optimè defendit rationes Campiani.

Ioannes Coluillas natione scotus scripsit epistolam ad ministros scotiæ, &.habetur ante Parænesim ipsius, quam scripsit ad suos ciues.

Ioannes Hammyltonius, doctor sorbonicus natione scotus scripsit contra sectarios librum de sacramentis.

Iacobus Gordomus Hunthæus Societatis Iesu theologus natione scotus: quinquaginta annos tum in germania, tum in Gallia theologiam alisque scientias: docuit, magna vbique Societatis & sua laude scripsit doctissime tres tomos controuersiarum: in primo agitur de verbo Dei scripto & non scripto, de vera ecclesia, de iudice controuersiarum, de summo Pontifice &c. In 2. de psentia reali Christi in sanctissimo eucharistia sacramento. In 3. Sacrificio missæ.

Ioannes Dauyus Cardinalis Perronius natione gallus scripsit doctissimè de traditionibus apostolicis, de satisfactione, de purgatorio, de inuocatione sanctorum, de ecclesia, de eucharistia. &c.

Ioannes Aayus Societatis Iesu theologus natione scotus scripsit latinè iustum volumē disputationum contra ministros galliæ, scripsit præterea scoticè & gallicè interrogationes ad sectarios prædicantes scotiæ.

Ioannes Gunterius Societatis Iesu, taurinensis scripsit de eucharistia baptismo, & limbo: de imaginibus de regno crucis.

Ioannes a Gouda, vltraiectinus, belgicè confutauit caluinstarū apud Hollandos cauillationes, ac nugas contra transubstantiationem allatas.

Iacobus Greterus Societatis Iesu theologus, scripsit in omnes controuersias & quidem doctissimè.

Ioannes Dauid Societatis Iesu edidit labyrinthum hæreticorum: araneum hæreticum, & aluearum, contra Philippum marnix.

Ioannes Eckius scripsit locos communes. &c.

Ioannes Hofmesterus scripsit librum cuius titulus est hæreticorum

fraudes, flosculos protestatium inter se pugnantium.

Iacobus Simaca, de catolicis institutionibus aduersus hæreses.

Ioannes Fischeras, natioue Anglus, contra captiuitatem Babylonicā Martini Luteri.

Ioannes Anthonius delphinus, scripsit opus de controuersijs inter orthodoxos & protestantes.

Ioannes Cochlæus scripsit fasciculum calumniarum 144. lutheri defensionem ceremoniarum ecclesiæ contra morbanum. &c.

Ioannes Quintinus heduus scripsit de ecclesia.

Leonardus Lessius Societatis Iesu theologus belga scripsit de Antichristo in serenissimum Iacobum Magnę britaniæ Regem, quæ religio capescenda sit. &c.

Ludouicus Richeomus Societatis Iesu, natione gallus scripsit de euchristia contra plessium, de idolatria hugonotica, de miraculis, sanctis & imaginibus. &c.

Laurentius Aibertus, scripsit cur relictis hæresibus in catholicæ ecclesiæ gremium se receperit.

Martinus Becanus Societatis Iesu theologus, ferdinandi imperateris confesarius, belga scripsit in omnes controuersias idque doctissime.

Martinus Pistor scripsit symonachiam aduersus epithoses fidei.

Matthæus Gallenus, scripsit de missæ sacrificio.

Nicolaus Villagagnon, scripsit aduersus articulos caluinianos.

Nicolaus Sanderus natione anglus, scripsit iustum volumen cui titulum præfixit de visibili monarchia, vbi optimè agit de Romano pontifice, de Antichristo &c.

Nicolaus Serarius Societatis Iesu theologus lotaringus, scripsit de ecclesia Dei, de extrema vnctione de legibus in symbolum Athanasij de Lutheri cum Diabolo disputatione apol. 2. &c.

Nicolaus Xylander, scripsit causas cur Luteranam hæresim, cuius aliquando minister fuerat, deseruerit.

Petrus Lizetius scripsit pseudo euangelicos & de eorū animaduersione

Petrns Tyræus germanus Societatis Iesu scripsit de sacrorum hominum continentia, de nouo & falso Antichiisto, de Deo in eucharistia adorando, de cultu sanctorū & imaginū, de festoru dierum institutione.

Petrus Cottonus Societatis Iesu gallus, Henrici 4. gallorum Regis olim confessarius, scripsit de locis sacræ scripturę a Caluinitis corruptis, de missæ sacrtficio, de modo agendi cum hæreticis. &c.

Patricius Andersonus Societatis Iesu, natione scotus, scriqsit scoticè

lib. cuius titulus est. Quomodo vnusquisque inuenire possit viam se

Robertus Cardinalis Bellarminus Societatis Iesu, hæreticorum no-
saluandi. &c.
stri temporis malleus scripsit tomos. 3. in primo agit de verbo Dei de Pontifice capite eclesiæ de eulesia catgolica in terris militãte, quæque in purgatorio est: & de in cælis triumphate. In 2 agit de 7. ecclesiæ sacramentis in 3. de iustificatione & gratia de indulgentijs & iubilæo de translatione imperij. &c.

Robertus Cenalis scripsit tomos tres contra Caluinum.

Ruardus Tapperus belga scripsit in articulos Louanienses, præterea orationes contra hæreses. &c.

Richarud Smitheus scripsit de missæ sacrificio, altariũ propugnationẽ.

Renatus Benedictus scripsit idolatria cænæ Caluinicæ Raphael venostrus scripsit de ecclesia.

Sebastianus Falchius scripsit suam abiurationem Luteranæ hæresis additis causcis viginti duabus.

Stamislaus Groditius polonius Socie. Iesu scripsir hæreticos non esse euangelicos, regulã fidei hæreticorũ, & concioues cõtrouersiarũ plenas.

Theodorus Peltanus Societ. Iesu belga scripsit disputationem de purgante igne: de amicorum sedibus, de vita functorum suffragijs. &c.

Thomas Stapletonus natione anglus lib. 12. demonstrationũ fidei. &c.

Tomas Bosius eugubinus, scripsit doctè de notis ecclesiæ libros. 24.

Thomas Gualensis anglus scripsit contra iconoclastas.

Vincetus Ronfreus scripsit flagellum sectatiorum.

VVernerus Roleuinck scripsit de missarum valore. &c.

FINIS.

INDEX CAPITVM ET PARAGRAFO rum huius primi secundi.

PARS PRIMA.

Caput Primum.

FINIS.

APPROBATIO.

Opus iſtud, cui inſcriptio eſt DE STATV HOMINIS, VETERIS SIMVL AC NOVÆ ECCLESIÆ, ET INFIDELIVM CONVERSIONE, non modò vel cum generali Eccleſiæ ſententia, vel cum ſaluberrima fidei doctrina, vel cum probis moribus & vitæ ſanctimonia ſentit & conſpirat vehemenrer; ſed multa paſſim offenduntur in eo, quæ ad hiſtoriæ cum ſacræ,tũ profanæ notitiam pertinent, ſcitè eruditè commemorata, & acutè diſceptata. Tam pius proinde labor, vtilis terſus & eruditus in lucem tuto proferatur. Ita ſentimus nos Doctores Theologi Pariſienſes.

F. Stephanus Reuerdy
Auguſtinenſis.

IOANNES LAISNE'